



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Liber Tertivs Et Qvintvs. Physicorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

à lege naturæ, tamen si id semper accideret, non diceretur monstrum, sicut nec Pygmei dicuntur, quia quamvis deficiant ab ordinaria lege naturæ, quantum ad magnitudinem, semper tamen tales nascuntur in certis mundi partibus. Sed hoc spectat magis ad quæstionem de nomine quàm de re. Dicitur, *secundum speciem*, quia monstrum semper deficit à speciei generante, vel secundum partem, ut si quis cum vno oculo vel tribus nasceretur; vel secundum totum, ut si bos parturiret agnum, quod ante excidium Hierosolymæ contigisse narrat Necessarius lib. 3. cap. 4.

Dixi autem, quod deficeret seu deficiat à speciei generante semper: quod tamen intelligendum est quando producit ab aliquo individuo talisnam posset produci ab aliis causis, & tunc non deficeret à speciei generante. Vnde clarius illa particula explicaretur dicendo quod deficiat à speciei quantum ad hoc quod deficiat à perfectione, quam exigunt individua istius speciei, à quocumque demum producat.

80 Multis de causis accidit ut generentur monstra: *Primo* ex abundantia aut defectu materie: & hinc provenit, quod aliqua animalia nimis magna vel nimis parva procreantur, & hoc secundum se totum, vel secundum aliquas sui partes. *Secundo* ex indispositione primar qualitatum. *Tertio* ex indispositione secundar, quæ est pellicula quædam, in qua continetur fœtus, dum est in ventre. *Quarto* ex debilitate virtutis productricis. *Quinto* ex influxu Astrorum, & temperamento Regionum. Deinde ex viciis aliqua imaginatione: scribit enim Avicenna gallinam incubantem ouis milui aspectu perterrefactam, edidisse pullos miluino capite.

Quæres, utrum Monstrum intendatur à natura.

Respondeo cum communi sententia, ipsum non intendi primario, quia est imperfectum, sed secundario tantum, quatenus cum non possit assequi effectum perfectum, ipsum imperfectum quærit producere. Sed si loquamur magis propriè de illis Monstris, quæ producuntur à causis naturalibus non cognoscitivis, non potest dici, quod nec intendantur, nec non intendantur ab illis, nisi quatenus id est esset intendere, ac esse determinatum ad eorum productionem: sic autem potest concedi, quod intendantur. Si verò loquamur de monstis, quæ producerentur à causa libera, possent aliquando intendi, & aliquando non intendi: & certe non est dubium, quin Deus intendat illa non minus quam alios effectus non monstruosos, propter multa evoluta quæ ex eorum productione succedere possent vniuerso.



LIBER III. ET IV.

PHYSICORVM.



Is duobus libris agit Philosophus de Motu præcipue, & quia motus successivus est de genere continuorum, continuum autem omne est aliquo modo divisibile in infinitum, ideo ante absolutum tractatum de motu agit etiam libro tertio de infinito. Quæ autem in utroque libro explicanda sunt, duabus Disputationibus sequentibus explicantur.



DISPUTATIO XIII.

De Motu.



QVANDO QV IDEM superiori libro definita est natura per ordinem ad motum, & omnia, quæ per quatuor causarum genera producantur, indigent motu ut producantur, opportune satis hic de motu ipso agitur.

QVÆSTIO I.

Quid sit Motus.

SUPPONENDVM est ex quotidiana experientia Sdari motum, quidquid senserint quidam antiqui Philosophi, quos tamen existimo non in eadem acceptione vfos fuisse nomine motus, quia nos eo utimur, neque enim calefieri se ac frigeri, & ab vno ad alium locum transire dubitare poterant.

Philosophus autem definit Motum esse *actum entis in potentia, prout in potentia*. Et hanc descriptionem approbant omnes Peripatetici. At circa eam duæ sunt difficultates hic examinandæ: vna quoad explicationem ipsius; & altera an conveniat etiam motui instantaneo. Ut verò tollatur omnis quæstio de nomine, advertendum quod aliquid possit dici moveri dupliciter: vno modo ex eo, quod transeat à non esse ad esse, Et sic Angelus posset dici moveri quando creatur; ac in hoc sensu accipit motum Doctor quando in 4. d. 1. 2. q. 4. dicitur non esse de essentia motus respicere subiectum aliquod existens, quod moveretur per illum ad aliquam formam. Alio modo dicitur aliquid moveri, quod transit à negatione formæ ad ipsam formam, aut à forma ad negationem formæ: & in hoc sensu qui est proprius, & communior, motus essentialiter respicit subiectum, adeo ut etiam si calor produceretur post frigus extra subiectum, nihil tamen diceretur propterea moveri, nec daretur etiam tum motus vlla ratione. Et in hoc eodem sensu agimus hic de motu.

CONCLUSIO I.

Bene describitur Motus esse actus entis in potentia prout *Definitio*
Bin potentia. Hæc est communissima cum Philosopho *motus*.
Et probatur: quia omni & soli comperit absque superfluitate aut defectu, ut patebit ex eius explicatione. Dicitur *actus*, non ex eo, quod perficiat subiectum, quia posset fieri quod non perficeret, ut quando esset neuter aut violentus, sed quia determinat subiectum, seu quia est determinatio actualis ipsius ad aliquid quod alias non haberet. Dicitur *entis*, ut significetur agi de motu in proprio significatione præmissa: vbi ulterius advertendum, quod *ly ens* capitur hic secundum communior opinionem, non nominaliter aut transcendentaliter prout significat illud quod existit vel potest existere; sed principaliter prout significat illud quod realiter est existens, quia motus nequit actuare aut determinare aliud subiectum quam illud quod realiter existit; imò debet existens realiter ante ipsum motum, & aliter non diceretur proprie moveri, unde ignis simul productus cum calore non dicitur proprie moveri ad calorem, quia nunquam fuit absque calore. Verum mihi videtur quod possit ens capi hic nominaliter, modo capiat per actus, non id quod actualiter actuatur, sed quod potest actuare; nam quamvis motus non possit actuare nisi quod actu existit, tamen est aptus actuare tam id quod actu, quam quod non actu existit. Imo videtur hoc modo melius intelligi & ens & actus, quia definitiones abstrahunt ab existentia, sicut scientiæ ipsæ, cui deserviunt. Nec credo de hoc in re posse esse controuersiam.

3 Si quæras, autem, quare Philosophus non posuit in definitione motus corpus naturale potius quam ens, præsertim si corpus naturale sit Physicæ obiectum adequatum.

Respondeo, quia nondum determinauerat quidnam esset statuendum pro obiecto adequato Physicæ, aut quia volebat abstrahere à controuersis, quantum poterat, quod semper faciendum esset in definitionibus.

Dicitur *in potentia*, ut significetur, quod motus sit actus ordinatus essentialiter ad alium actum, nempe ad terminum, qui per illum acquiritur; & hinc vocatur communiter actus imperfectus; ad differentiam aliorum actuum, qui essentialiter non ordinantur ad alios actus, ut forma substantialis, & formæ etiam accidentales, verbi gratia calor, frigus, vbi, & similia, quæ vocantur actus perfecti, quia scilicet

scilicet essentialiter non ordinantur ad vteriores actus, seu quod idem est, quia non sunt acquisitiones formales aliorum actuum, sed actus qui acquiruntur. Additur prout in potentia, ut intelligatur præcedens particula in potentia in sensu reduplicatio, non vero in specificatio: nam si intelligeretur in sensu specificatio sic, ut idem esset, ac ens, quod est in potentia, descriptio competeret calori: calor enim est actus entis, quod ens est in potentia ad calorem recipiendum, & consequenter non esset bona. At si intelligatur reduplicatio ita, ut sensus sit, quod motus sit actus entis, quod est in potentia ad aliquam formam, & quod sit actus ipsius, prout in potentia, hoc est talis actus, qui se ipso non ita actuatur, quin debeat vterius actuari per aliam formam, ad quam essentialiter ordinatur, tum non conueniet calori nec ulli alteri actui, qui non est motus: quæ explicatio est facilis, & videtur satis genuina.

Facilius tamen meo iudicio explicaretur natura motus, si diceretur, quod sit ratio formalis, à qua habet aliquid aliter se habere nunc quam immediate ante se habuit, quamuis fatear libenter hanc ipsam descriptionem conuenire in eum priori Aristotelica & communi, contra quam.

4 *Obijcies primo:* si motus esset actus mobilis, mobile esset in potentia ad ipsum, omne enim perfectibile, vel determinabile per aliquem actum est in potentia ad illum actum, potest enim determinari per illum: sed si est in potentia ad illum, potest moueri ad ipsum; & sic ad motum dabitur motus, atque adeo processus in infinitum, quod est absurdum: ergo motus nequit esse actus mobilis.

Respondeo distinguendo minorem pro prima parte: potest moueri ad ipsum per alium motum, nego: seipso, concedo minorem pro prima parte, & nego ipsam pro secunda, & nego etiam consequentiam. Itaque sicut agens principiat actionem non per aliam actionem distinctam, quia actio seipsa egreditur ab ipso; ita etiam mobile mouetur ad motum, non per alium motum, sed per ipsummet motum, quo mouetur.

Obijcies secundo: illa definitio non conuenit motui corruptiuo: ergo non est bona.

Respondeo primo negando consequentiam, quia Philosophus voluit solum describere motum per se intentum à natura, qualis non est motus corruptiuus, neque enim natura per se intendit corruptionem.

Respondeo secundo negando antecedens: nam motus quo mouetur aliquid à forma ad non formam, est etiam actus ipsius, quatenus est in potentia.

5 *Obijcies tertio:* motus est tendentia à termino à quo ad terminum ad quem, ergo deberet vterque terminus in eius definitione poni: sed non ponuntur in præmissa descriptione: ergo non est bona.

Respondeo negando subsumptum: nam per hoc, quod dicatur esse actus entis in potentia, ut in potentia, significatur terminus à quo nempe negatio illius formæ, quæ per motum acquiritur, & significatur etiam, quod motus sit acquisitio termini, ad quem mobile mouetur.

Obijcies quarto: prædicta definitio non conuenit motui instantaneo: ergo non est bona.

Respondent Scotista negando antecedens: *Thomista* vero respondent negando consequentiam, quia motus instantaneus non est proprie motus, sed mutatio: Philosophus autem hic definire voluit motum proprie dictum, qualis secundum ipsos est solus successiuus. An autem definitio in rei veritate conueniat motui instantaneo nec ne, sequenti conclusione declarabitur. Intelligo autem per motum instantaneum illum motum, quo aliquid mouetur in instanti acquirendo formam aliquam secundum omnes partes simul; & per motum successiuum intelligo illum, quo mouetur aliquid in tempore, acquirendo aliquam formam secundum partes vnam post alteram sine intermissione.

CONCLUSIO II.

¶ *Prædicta definitio conuenit etiam motui instantaneo.* Hæc est communior cum *Doctore 2. d. 12. q. 1.* cum

suis omnibus, quos sequuntur *Rusini, Hurtad. Auer. Arriag. hic & Complut.* etiam, nisi quod hi distinguant de duobus motibus instantaneis. Primus est quo mouemur ad intellectiones & volitiones, aliasque sensationes, quem metum vocant actum rei perfectæ. Alius motus instantaneus est, quo mouemur ad alias formas, ut generatio substantialis, quem motum vocant actum rei imperfectæ: primum motum negant, secundum affirmant comprehendere hac descriptione: unde partim tenent conclusionem, partim negant.

Probaturs conclusio ex Aristotele *tex. 4.* ubi antequam definiret motum, agit de rebus, quæ mouentur ac mutantur motu, quem intendit describere inquit: *Mutatur enim semper id, quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum vbi.* Sed motus ad substantiam, qui distinguitur à motu ad quantitatem, qualitatem, & vbi, est motus generationis & instantaneus: ergo Aristoteles volebat hunc motum in sua definitione comprehendere.

Confirmatur primo: quia hic debebat agere de motu omni, cuius dixerat naturam esse principium: sed non solum motus successiuus, sed instantanei natura est principium: ergo de vtroque motu hic agit.

Confirmatur secundo: de motu ut sic abstrahente à successiuo & instantaneo spectabat ad ipsum agere, & ad Physicam, neque enim ad aliam vllam scientiam spectat magis per se: ergo quandoquidem nullo alio loco egerit in Physica de ipso, nisi egisset de eo hic, non satis fecisset suo muneri, quod absque graui causa non est dicendum: ergo de eo hic agit, & consequenter descriptio motus complectitur vtrumque motum.

7 *Probaturs secundo ratione:* quia reuera motus, quo mouetur in instanti à cor ad lumen, & motus, quo mouetur in instanti corpus ad animam, & materia prima ad formam substantialem, est actus imperfectus entis, quod est in potentia, & ut est in potentia, quandoquidem sit actus essentialiter ordinatus ad vteriore terminum, in ordine ad quem mobile est in potentia: ergo omnes particule descriptionis illi conueniunt.

Et hæc probatio æque currit de motibus, quibus mouemur ad intellectiones & volitiones, similesque actus vitales, præsertim si illi actus producantur per actiones distinctas, ut in nostra schola tenetur, de quo suo loco. Quod si etiam seipsis producerentur, adhuc definitio prædicta potest optime ipsis accommodari, quia ut habent rationem motus, quo mouetur quid ad ipsas, sunt actus entis in potentia, ut in potentia & ordinatur ad seipsos, ut sunt formæ, quibus subiectum suum fertur vitaliter in obiectum ipsorum, nec huiusmodi actus vitales, ut seipsis egrediuntur à subiecto, sunt magis perfecti, quam motus, quo aliquid mouetur ad lumen, aut quamcunque aliam formam instantaneè acquisitam; unde patet frustra Complutenfes limitasse conclusionem & exclusisse ab ea motum, quo mouemur ad actus vitales.

Obijcies primo: motus hic definitus debet esse actus, tam imperfectus, ut relinquat subiectum partim in potentia & partim in actu, & consequenter debet terminari ad terminum diuisibilem, cuius pars acquiritur & pars non est acquisita: sed hoc nequit competere motui instantaneo: ergo non definitur hic.

Confirmatur: quia pro illo instanti, quo est motus instantaneus, est etiam terminus eius in subiecto, ergo subiectum non est in potentia ad illum terminum, nec ad motum: ergo motus ille nequit esse actus in potentia ut in potentia.

Respondeo distinguendo maiorem: quantum ad hoc, quod per ipsum motum solum absque vteriori termino non actuatur subiectum sic, quin vterius actuari debeat per terminum, ad quem ordinatur motus, concedo maiorem, & nego consequentiam inde deductam, quia hoc potest bene contingere absque diuisibilitate termini. Quantum ad hoc quod debeat ipsum constituere sub parte termini acquirendi per motum, & relinquere ipsum sub parte alterius partis, nego maiorem, & similiter distincta minori, nego consequentiam.

Ad confirmationem respondeo distinguendo primum consequens: simpliciter loquendo, concedo consequentiam, loquendo de potentia inuolente carentiam seu negationem termini, seu formæ, ad quam est potentia: quantum est ex parte motus ita, ut motus ipse non sufficeret absque termino eius, nego consequentiam. Itaque, ut sæpe dixi, motus relinquit subiectum in potentia, quatenus ultra motum debet necessario acquirere aliquid aliud, sine quo esset indeterminatum, & inutiliter sub motu solum.

9 *Obiicies secundo*: motus ut sic, non est communis vniuoce utrique motui, ergo non definitur hic motus ut sic.

Respondeo primo negando antecedens: nam quæcumque differentia, quæ est inter utramque motum, ratione cuius dicerentur non esse eiusdem rationis, provenit ex differentia specifica ipsorum, & non ex ratione communi, quam participant.

Respondeo secundo negando consequentiam, maxime secundum adversarios, qui fatentur illa, quæ cōveniunt solū analogice, posse vnicā definitione analogica describi, & sic etiam secundū Scotistas definiuntur ultimæ differentia, & alia, quæ non conveniunt in aliquo vno conceptu positivo vniuoce; ergo quamvis hi motus nō convenirent vniuoce, quandoquidem negari non potest, quin ad minus conveniant analogice, poterunt definiri aut describi vnicā definitione.

10 *Obiicies tertio*: sequeretur creationem fuisse definitam hic à Philosopho, quod videtur absurdum, quia neque cognovit creationis possibilitatem: ergo non comprehenditur mutatio instantanea sub prædicta definitione.

Respondeo negando sequelam, quia creatio dicit independentiam à subiecto, motus autem hic definitus, tam qui successivus est, quam qui instantaneus, dicit ordinem ad subiectum. Quod si etiam comprehenderetur creatio, nō esset inconueniens quod descriptio data ab Aristotele conveniret aliquibus rebus ab ipso nō cognitis, modo illæ res convenirent cum rebus ab ipso definitis, secundum quod definitæ sunt. Et certe definitio causæ efficientis, quod sit principium influens esse in aliud, sine dubio cōvenit causæ creativæ, quamvis hanc non agnouerit Philosophus.

11 *Obiicies quarto pro Complutensibus* quatenus tenent mutationes ad actus vitales nō comprehendi hac definitione: *Philosophus 3. de anima tex. 22.* ait motus ad actus vitales esse alias species motus à motibus aliis ac mutationibus imperfectis: ergo motus ad sensationes seu actus vitales non comprehenduntur sub motu hic definito.

Respondeo negando consequentiam, quia possunt specie distinguui ab aliis motibus, quamvis cōvenirent cum illis in ratione motus ut sic, qui hic definitur. Nec Philosophus vocat motum ad actus vitales actum rei perfectæ, ut supponunt Complutenses, sed dicit ipsosmet actus vitales esse actus rei perfectæ, id est rei, quæ per illos actus non acquirit ulteriorem perfectionem, quod est longe diversum.

12 *Obiicies quinto pro iisdem*: motus hic definitus est actus entis existentis in potentia: sed sensationes sunt actus entis existentis in actu: ergo non definiuntur hic. Probat minor: quia illæ sensationes sunt operationes sensus vel intellectus iam facti in actu per suam speciem, non enim sentire convenit sensui nisi actu existenti per illam, & prout in illo priori continet perfectionem specificam sensationis, & consequenter prout sic intelligitur perfectus & secundus.

Confirmatur: quia motus de quo hic, petit terminum à quo: sed motus ad actus vitales non requirunt terminum à quo: ergo non sunt motus, ut motus hic definitur.

Probat minor: quia in instanti, quo creator subiectum, possunt esse sensationes in ipso, ut patet in Adamo.

Respondeo: distinguendo minorem: si per sensationem intelligitur motus ad actus vitales, nego minorem: si intelligatur ipsomet actus vitalis, qui acquiritur per mo-

tum, aut se ipso, concedo minorem, Et similiter distinguo consequens: si per sensationes intelligatur motus ad actus vitales, nego consequentiam, si ipsimet actus vitales, qui acquiruntur per motum, concedo consequentiam. Probatio autem minoris non est prorsus ad rem; neque enim ad propositum facit, quod sensationes proveniant effectivè à re, quæ movetur ad ipsas, aut per ipsas: quia hoc non impedit: quo minus motus ille posset esse proprie dictus motus: nam motus, quo movet se aqua ad frigus, & quo grane movet se deorsum, est proprie dictus motus, & provenit tamen effectivè ab ipsis mobilibus, contineturque in eorum virtute quoad suam speciem. Et sane, si actus vitales non procederent effectivè à potentia vitali constituta per speciem, eodem modo haberent rationem actus rei perfectæ, quo de facto habent quantum ad propositum.

Ad confirmationem respondeo negando minorem: ad cuius probationem dico quod sensationes, prout habent rationem motus, nequeant esse in instanti, quo sentiens producit, quamvis sub aliis rationibus possint esse in illo instanti. Itaque quemadmodum acquisitio caloris potest esse in instanti, in quo producit ignis, & in illo instanti non habet rationem motus, quia motus ut sic, formaliter necessario presupponit carentiam termini ad quæ in subiecto, loquendo de motu in rigore, quamvis acquisitio caloris in quocunque instanti postea haberet rationem motus: ita quamvis sensatio habita in instanti, in quo sentiens produceretur, non haberet rationem motus, nec produceretur per motum, tamen quando haberetur in aliis instantibus, aut haberet rationem motus, aut produceretur per motum.

QVÆSTIO II.

Quid sit subiectum Motus, & quomodo Motus à subiecto, termino, actione & passione distinguatur.

13 *EX* resolutione huius quæstionis multo magis patebit natura motus quantum ad entitatem suam intrinsecam.

CONCLUSIO I.

Subiectum Motus, quo mobile movetur ad aliquam formam intrinsecam, est ipsum mobile. Hæc est communissima contra Soncinam, Hervæum & Fonsicam 5. met. c. 15. q. 10. qui licet concedant alios motus subiectari in mobili præter motum localem, dicunt hunc non subiectari in illo, sed in corpore locante.

Probat: omnis forma debet in ipso subiectari quod nominat, nisi sit aliquid inconueniens in tali subiectione: sed motus est forma denominans mobile moveri actu, nec est vlla inconuenientia quod subiectetur in ipso: ergo debet in ipso subiectari.

Probat secundo, quia motus est acquisitio termini, ad quem mobile movetur cum respectu ad non esse immediate præcedens termini illius in mobili: sed illa acquisitio est in ipso mobili, & illa negatio termini fuit in illo in tempore aut instanti antecedenti: ergo motus est in illo, & quidem immediate.

Confirmatur: quia implicat quod aliquid moveatur ad aliquem terminum, quin vel ille terminus sit in illo, vel respectus aliquis aut vniuo realis ad illum terminum: ergo motus debet esse in illo tanquam in subiecto.

Probat consequentia: quia si terminus sit in illo receptus, etiam acquisitio termini quamvis identificaretur termino, debet esse in illo: si vero ipse terminus non sit in ipso receptus, sed solum dicitur moveri, quia vniuo realiter de nouo alicui in se non recepto, sicut corpus quasi vniuo loco extrinseco, quando movetur localiter, tum ipsamet vniuo seu applicatio illius ad locum illum extrinsecum debet esse in illo.

14 *Obiicies*. Secundum Philosophum lib. 8. c. tex. 59. per motum localem mobile nullam formam intrinsecam acquirit; ergo motus, quo movetur localiter, non est in ipso, tanquam in subiecto, præferim in hæfionis, quamvis sit in ipso tanquam in subiecto denominationis, quod scilicet denominatur ab ipso moveri, quod non negant adversarij.

Respondeo

Respondeo distinguendo antecedens nullam formam intrinsecam absolutam, transeat; relatiuam, nego antecedens.

Obicies secundo: Terminus motus localis est locus: sed locus est in corpore locatæ, & nullo modo dicitur esse in locato, sed potius locatum dicitur esse in loco, ergo terminus motus localis non est in mobili: sed si terminus motus non sit in illo, nec ipse motus poterit esse in illo, quia alias fieri termini esset in subiecto & factum esse in alio.

Respondetur, loquendo de motu locali passiuo, quo mobile dicitur formaliter moueri, de quo hic loqui debemus (nam motus localis, actiuus, quo aliquid mouet effectiue aliud aut seipsum, non est ad propositum, non enim est actus mobilis, sed mouentis) concedendo totum primum syllogismum, & negando subsumptum cum sua probatione, quia fieri termini motus localis, ut est terminus, non est aliud, quam acquisitio ipsius, & consequenter ipse motus, prout dicit respectum ad non esse immediate præcedens, quæ acquisitio est in mobili; factum autem esse termini, prout est terminus motus localis, non est aliud quam acquisitio loci prout dicit ordinem ad esse immediate præcedens, quæ etiam acquisitio est in mobili. Itaque de duplici fieri formæ possumus loqui, vel de illo, à quo recipit formaliter formam esse existentia, & concedo hoc fieri esse in ipsa forma tanquam in subiecto; nec hoc est motus proprie dictus, de quo hic loquimur; bene enim huiusmodi fieri posset esse absque eo, quod aliquid moueretur proprie. Aliud fieri formæ est fieri, quod habet in subiecto, & hoc etiam fieri potest dupliciter considerari; vel enim intelligitur de fieri, à quo formaliter dicitur forma vniri subiecto & recipi in ipso, & hoc fieri est in ipsa forma; vel de fieri formæ, idest, de eo, à quo subiectum dicitur formaliter recipere formam, & huiusmodi fieri est in ipso mobili immediate, & terminatur immediate ad ipsam formam.

CONCLUSIO II.

Motus distinguatur realiter ab agente mobili, & termino.

15 *M*otus distinguatur realiter ab agente mobili, & termino, quem per motum acquirit mobile. Hæc est communissima ratio Scottistarum quam Thomistarum contra Masium hic aliquos veteres Thomistas pro se citantem, & existimantem, quod non distinguatur realiter à termino.

Probat autem: quia possunt existere simul in rerum natura agens, verbi gratia ignis, & mobile, verbi gratia aqua, & terminus per motum acquisitus, verbi gratia calor, quin moueretur aqua, & quin consequenter daretur motus, quo moueretur aqua ad calorem; ut si calor produceretur à Deo absque subiecto vlllo, aut in alio subiecto: ergo motus, quo mouetur aqua ad calorem, distinguitur realiter à mobili, agente, & termino, siue sumantur seorsim siue simul.

Dices, terminum ut acquisitum non posse esse absque motu.

Contra primo: quia hic loquimur de termino, qui acquiritur, non ut acquiritur reduplicatiue loquendo, sed specificatiue tantum.

Contra secundo: quia ut acquisitus etiam distinguitur realiter à motu, quia motus subiectatur immediate in mobili quod mouetur; illud autem à quo formaliter habet terminus esse acquisitus subiectatur immediate in ipso termino: sed quæ subiectantur in subiectis distinctis realiter, distinguuntur realiter: ergo terminus, etiam ut acquisitus, distinguitur realiter à motu.

Contra tertio: quia potest esse terminus acquisitus à mobili, & coniunctus illi, quin mobile moueatur motu riguroso, de quo hic loquimur: nam quando producit ignis cum calore, in eodē ipso instanti, quo producit, habet calorem acquisitum, & tamen non mouetur proprie ad calorem, quia ut sic moueretur, deberet existere pro aliquo instanti ante acquisitum terminum: ergo motus dicit aliquid distinctum realiter à termino acquisito.

16 *Obicies*, motus est forma in fieri, sed forma in fieri

non distinguitur re ipsa à forma in facto esse: ergo motus non distinguitur realiter à termino siue in fieri, siue in facto esse.

Respondetur negando maiorem, quia potest forma esse in fieri, absque eo quod aliquid moueatur, ut si produceretur extra subiectum, aut si produceretur in illo ipso instanti, in quo producit subiectum in ipso subiecto: & quia fieri ipsius formæ subiectatur in ipsa forma, motus autem subiectatur in mobili: unde quamuis forma non posset esse in fieri, quin motus esset, adhuc distingueretur realiter.

Obicies secundo: sequeretur, quod mobile moueretur duplici motu, moueretur enim ad terminum, & moueretur ad motum, si realiter distingueretur à termino; seu quod idem est, acquireret duas realitates realiter distinctas, & consequenter moueretur duplici motu, non secus ac illud, quod moueretur simul ad calorem & siccitatem, moueretur duplici motu, quia moueretur ad duas realitates realiter distinctas.

Respondetur, negando sequelam, quia licet acquireret duas realitates, tamen vna tantum ex illis est motus, & altera non est motus, sed terminus acquisitus per motum.

17 *Dices*, eo ipso, quo acquirit mobile aliquam realitatem, quam ante non habuit, mouetur, quia eo ipso, quod aqua habet calorem, quem ante non habuit, mouetur ad calorem: ergo etiam eo ipso, quod habet motum, quem ante non habuit, mouetur: ergo mouetur duplici motu.

Respondeo, distinguendo antecedens: ita vt omnis realitas iam habita, & ante non habita tribuat ipsi denominationem moti formaliter loquendo, nego antecedens: ita vt quoties sit realitas aliqua iam habita, & non habita antecederet, mobile vere moueatur, & sit aliquid, à quo habet formaliter illam denominationem moti, concedo antecedens: & similiter distincto primo consequente, nego ultimam consequentiam. Itaque quauis quoties aqua habet calorem de nouo, necessario moueatur, tamen non necessario mouetur per ipsum calorem formaliter & proxime loquendo, sed mouetur per aliquid aliud ad calorem, nempe per ipsum motum, & consequenter quandoquidem, dum calefit, non sint in ipsa duo motus, non debet moueri duplici motu.

Obicies tertio: eo ipso quo intelligitur aqua, verbi gratia, recipere calorem, intelligitur moueri, etiam si non intelligatur recipere aliquid realiter distinctum; ergo frustra poneretur aliquis motus realiter distinctus à calore.

Respondeo, antecedens implicare contradictionem, quia implicat intelligere intellectione vera, quod aqua recipiat calorem formaliter absque eo, quod intelligatur habere aliquid, à quo habeat illam denominationem recipientis; & implicat quod intelligatur vere habere illam denominationem; quin habeat aliquid distinctum à calore, à quo habeat illam denominationem; quandoquidem nec à se ipsa, nec à calore possit illam habere, nec ab utroque simul.

CONCLUSIO III.

1 *M*otus nihil postituum dicit, quod sit realiter distinctum ab vnione mobilis ad formam, ad quam dicitur moueri. Hanc puto in re communem esse, &

*Probat*ur: quia impossibile est ponere motum, quin ponatur hæc vnio; aut vnionem hanc, quin ponatur motus; & præterea subiectatur hæc vnio in eodem subiecto, in quo debet subiectari motus, & motus in illo subiecto, in quo subiectatur hæc vnio: deinde vnio hæc habet illū ipsum terminum, quem habet motus, nimirum formam, quæ acquiritur per motum: ergo non debent distingui realiter.

Confirmatur: quia nulla est necessitas ponendi aliquid aliud postituum distinctum realiter ab illa vnione, quod sit motus; ergo non debet poni, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Dices: posset esse vnio illa absque motu, ut si vniretur subiectum

Motus nihil postituum dicit distinctum ab vnione mobilis ad formam.

subiectum formæ, verbi gratia aqua calori in illo ipso instanti in quo producit aqua, ergo est necessitas ponendi aliquid aliud, à quo denominetur aqua moueri ad calorem.

Confirmatur: quia manet illa vnio quando aqua est calefacta transeunte calefactione & motu, ergo vnio illa distinguitur realiter à motu.

Respondeo distinguendo consequens: aliquid aliud prærequisitum ad motum, concedo; aliquid aliud superueniens ipsi mobili, quod dicitur moueri pro illo instanti quo mouetur, nego consequentiā. Itaque ad hoc vt illa vnio habeat denominationem motus, requiritur necessario quod præexistat subiectum quod mouetur; nec hoc negatur in conclusione, & qui id negaret, excitaret tantum questionem de nomine. Sed quod asserimus est, quod vt subiectum, quod existebat absque motu, moueatur de nouo, non requiratur aliquid positium, à quo formaliter denominetur moueri, præter illam vnionem: & quando diximus in probatione, quod vnio non posset esse absque motu, hoc intelligendum est sic, vt non possit esse in subiecto præexistente; seu sic, vt non possit aduenire subiecto præexistenti tempore, quin sit motus, & quin moueatur illud subiectum, quod certum est.

19 *Ad confirmationem respondeo* concedendo rotum, sed negando id esse contra conclusionem: nam aliud est quod motus nihil positium dicat distinctum realiter ab vnione; aliud quod nihil dicat aliud præter vnionem.

Et si quæras, quid aliud dicat?

Respondeo, quod dicat præter vnionem, negationem existentie vnionis pro instanti aut tempore immediate præcedenti: nunquam enim potest moueri subiectum aliquod, quin recipiat vnionem ad aliquid, quam vnionem non habuit antecedenter dum existebat absque motu, & quoties aduenit ipsi vnio, quam ante non habuit, quamuis nihil aliud prorsus adueniret ipsi præter vnionem & terminum eius, quem necessario affert secum vnio, non posset non moueri; vnde motus formalissime sumptus est vnio cum negatione existentie pro tempore aut instanti immediate præcedenti, quam negationem solet aliquando Scotus explicare per respectum ad non esse immediate præcedens; quia licet non detur à parte rei aliquis respectus talis, tamen potest intellectus concipere talem respectum in forma aut vnione de nouo producta. Et si quæras, cur non daretur talis respectus, *Respondeo*, quia deberet esse vel realis vel rationis; neutrum autem potest dici: non realis quidem, quia terminus eius non est quid positium, cum sit non esse immediate præcedens; non etiam rationis, quia est independenter ab operatione intellectus, vt supponitur.

Quomodo
distinguitur
motus
ab actione
& passione.

20 *Ex his patet*, quomodo distinguatur motus ab actione & passione: in sententia enim communi Scotistarum, qui ponunt actionem subiectatam in agente, distinguendum debet motus realiter ab actione, quia motus subiectatur in mobili; quæ autem subiectantur in diuersis realiter subiectis, distinguuntur realiter, maxime si illa subiecta distincta realiter, non faciant vnum per se, quod non contingit in proposito. Nec refert quod aliquando mobile, & agens coincident, vt cum idem mouet seipsum: nam hoc contingit per accidens, & posset illud ipsum mobile eodem motu moueri, quamuis ipsum non moueret se, sed Deus, quod sufficit ad distinguendum realiter, motum & actionem eiusdem mobilis. In eadem etiam sententia Scotistarum, si capiatur pro passione respectus, quo forma formaliter recipit suum esse, etiam motus & passio distinguuntur realiter, quia motus subiectatur in mobili immediate, & passio illa subiectatur in forma, quæ acquiritur per motum. Si vero capiatur passio pro transmutatione subiecti, aut pro illo à quo habet formaliter mobile seu subiectum transire de non forma ad formam, quandoquidem illud sit vnio ipsius cum forma, motus & passio identificabuntur realiter.

In sententia verò aliorum philosophandum est cōformiter ad sua principia, secundum quod identificant actionem & passionem inter se & cum vnione. Nam si identificant actionem, & passionem inter se, & præterea cum

vnione, motus, actio, & passio non distinguuntur realiter; si verò identificent actionem & passionem inter se, sed non cum vnione, motus distinguuntur realiter ab actione & passione; si denique distinguant realiter actionem & passionem; sed passionem identificent cum vnione subiecti ad formam, tum actio distinguuntur realiter à motu, passio vero identificabitur illi. Quid autem dicendum sit à parte rei absolute, patet ex dictis in Logica de actione, & passione.

21 *Addendum autem* hic obiter, non facile posse defendi quod aiunt Complutenses citantes alios Thomistas hic disp. 17. n. 13. nempe formalitates actionis, passionis & motus distingui inter se formaliter secluso intellectu, licet in vna entitate modali identificentur: nam in primis secundum ipsos & Thomistas non datur distinctio vlla actualis antecedens operationem intellectus, quæ non sit realis; ergo quæ identificantur inter se aut in alia tertie entitate, non possunt habere vllam distinctionem actuaalem secluso intellectu; nec video quomodo si realiter identificantur aliqua, possint habere distinctionem actuaalem realem.

Relicta
sententia
Complu-
tensium.

Deinde, vel entitas motus potest esse absque entitate actionis, aut è contra; vel habebunt subiecta distincta realiter, vel vnum est principium productionum alterius; vel certe habebunt idem subiectum, & neutrum potest esse absque altero, nec alterum alterius est causa. Si hoc secundum dicatur, ergo non distinguuntur realiter actualiter; alias poterimus dicere quod animalitas & rationalitas sic distinguuntur. Si primum dicatur, ergo non identificabuntur realiter; alias poterimus dicere quod similitudo subiectata in hoc pariete identificetur realiter similitudini subiectata in altero pariete; & quod Pater æternus identificetur realiter Filio, & quod paries identificetur realiter similitudini de nouo sibi aduenienti. Nec refert quod actio & passio, & motus habeant diuersas definitiones, ac ponantur in diuersis prædicamentis; nā hoc nihil facit contra eos, qui tenent prædicamenta non distinguuntur necessario realiter. Contra alios verò, qui putant, prædicamenta distinguuntur realiter, probaret quidem quod distinguuntur realiter, sed ex hoc ipso capite colligeretur, quod non identificarentur realiter.

Eodem modo respondendum est ad illud de definitionibus: nam qui tenebunt ea distinguuntur realiter, concedent diuersas definitiones adæquatas, & negabunt consequenter identificationem realem eorum. Qui vero dicent illa identificari, negabunt diuersas definitiones adæquatas.

22 *Addendum secundo*, contra eosdem, n. 22. motum non habere posse rationem subiecti quo respectu actionis, & passionis: tum quia vel subiectantur inseparabiliter de potentia etiam absoluta in eodem subiecto, & identificabuntur realiter, nec alterum respectu alterius potest esse subiectum quo: vel subiectantur in diuersis subiectis, & sic etiam neutrum respectu alterius potest esse subiectum quo, quia subiectum quo se tenet ex parte subiecti, in quo subiectatur alterum, respectu cuius dicitur subiectum quo. Tum quia impossibile est intelligere, quod aliquid moueatur ad aliquam formam, quin patiatur recipiendo illam formam: ergo non abstrahit motus à passione sic, vt possit esse subiectum quo ipsius, & consequenter falsum est fundamentum Complutensium consistens in eo, quod motus abstrahat à passione.

Motus non
habet ra-
tionem sub-
iecti quo
respectu a-
ctionis, &
passionis.

Quæres, ad quod prædicamentum spectet motus.

23 *Respondeo*, quod ad prædicamentum passionis, non quidem capiendum passionem prout est correlatio actionis, & illud, à quo habet aliquid recipere esse existentie, sed prout dicitur illud, à quo habet aliquid pati formaliter loquendo, siue ab agente dante ipsi esse existentie, siue à forma, quæ informat ipsum.

Dices: Philosophus exclusit motum à prædicamentis, & ideo de ipso egit in postprædicamentis.

Respondeo negando antecedens: sed solum non determinauit ipsi proprium prædicamentum distinctum à reliquis: & quia non determinauit ad quod ex reliquis spectauit, ideo de eo seorsum egit in postprædicamentis.

Dis-
tinc-
tio
motus
ab
ac-
tione
&
pas-
sione.

Vo-
lunt-
as
tue
ab
ip-
so

Ex-
tate
ca-
lida
mit-
timus

QVÆSTIO III.

Vnde sumatur vniuersus numerus ac specifica Motus.

24 Certe est motum, sicut & quamlibet aliam rem, habere ex natura sua & entitate unitatem tam specificam quam numericam; sed quia nos non possumus naturas rerum declarare, nisi per ordinem ad aliqua extrinseca, quaeritur hic per ordinem, ad quæ extrinseca possumus colligere, quod vnus motus distinguatur specie vel numero ab alio motu, sicut quaesimus in Logica, per quæ principia potuissimus colligere, quod vna relatio distinguatur specie vel numero ab alia relatione.

Pro resolutione aduertendum est motum habere duplicem terminum à quo, vnum negatiuum, & est negatio termini ad quem, quæ necessario debet præexistere in subiecto vt moueatur ad alium terminum, & hic est terminus à quo essentialis motus, quia sine ipso nequit esse de potentia absoluta. Alius est terminus à quo positius, & est aliquid positium, quod tollitur à subiecto quando mouetur; vt ab aqua tollitur frigus quando calefit seu mouetur ad calorem, & hic terminus vocatur terminus à quo per accidens motus, quia motus posset dari, quamuis non præexistere hic terminus, aqua enim sine dubio posset calefieri quamuis non fuisset ante frigida; neque enim frigiditas inuadat, sed potius impedit calefactionem.

Aduertendum præterea duplicem posse considerari causam effectiuam motus, vnam adæquatam, sine qua scilicet non posset motus esse, sicut intellectus esset causa adæquata intellectus, ex suppositione, quod non posset intellectus produci ab alia causa absque concursu intellectus. Alia est causa inadæquata, quæ scilicet potest quidem mouere mobile, sed non ita quin alia etiam causa possint ipsum mouere simili motu. Talis causa supponitur esse ignis respectu calefactionis, quia non solus ignis potest calefacere, sed etiam Deus & Sol & alia causa.

CONCLUSIO I.

25 Distinctio specifica motus desumitur à distinctione specifica termini ita vt eo ipso quo termini distinguuntur specie, etiam motus debeant distinguere specie. Hæc est omnium, & patet manifeste: quia cum motus tendat essentialiter in terminum, ex eo quod sit acquisitio eius, non potest fieri, quin, si termini distinguantur specie, motus distinguantur specie.

Confirmatur: quia relationes distinguuntur specie quoties termini sic distinguuntur: sed motus est relatio: ergo quoties termini in motum distinguuntur specie, & motus etiam sic distinguere debent.

Confirmatur secundo: quod essentialiter ex natura sua intrinseca dicit ordinem ad aliquid determinatæ speciei, ad quod alterum non dicit ordinem, debet distinguere specie ab illo altero: sed motus ad vnam speciem, verbi gratia calorem, dicit ex natura sua intrinseca ordinem ad aliquid determinatæ speciei, ad quod non dicit ordinem motus ad aliam speciem, verbi gratia albedinem: ergo motus tendentes in diuersas species debent necessario distinguere species inter se. Hinc habetur quod vniuersa specifica duorum motuum inter se, debeat partim desumi ab unitate terminorum ad quos, ita vt non possit quis scire an aliqui motus sint eiusdem speciei, quin cognoscat quod termini sint eiusdem speciei, nam si distinguerentur specie ex distinctione specifica terminorum, debet cognosci, quod non sit talis distinctio in terminis, vt cognoscatur quod non sit distinctio in motibus.

CONCLUSIO II.

26 Etiam ex diuersitate specifica subiecti potest diuersitas specifica motus colligi. Hanc tenet Auerſa q. 26. sec. 12. & est contra communiorē, vt videtur sententiam, & speciatim contra Mastrum d. 15. a. 1.

Probat manifeste: quia motus quo mouetur vnum subiectum, verbi gratia homo, dicit essentialē ordinem ad hominem, nec de potentia absoluta potest esse motus alterius subiecti, verbi gratia leonis, aut motus leonis motus hominis, etiam si haberent terminos eiusdem rationis, verbi gratia calores, vt si tam homo quam leo calefierent: ergo distinguuntur specie illi motus, & eorum distinctio specifica optime colligi potest ex eo, quod dicant ordinem

ad subiecta specie distincta sine recurſu ad terminum, sicut potest ex ordine motuum ad diuersos specie terminos colligi diuersitas specifica illorum absque recurſu ad fundamentum seu mobile. Quæ probatio mihi euidentissima est. Et intelligenda est conclusio quocumque subiecto siue adæquato, siue inadæquato; si tamen detur aliquod subiectum inadæquatum motus, quod non puto, quia reuera nullus motus vllius subiecti distinctæ speciei ab altero subiecto potest esse eiusdem speciei cum motu vllio illius alterius subiecti propter rationem conclusionis. Fateor quidem communiter respici magis distinctionē motus; quæ desumitur à termino, quam illam quæ desumitur à fundamento, & quamuis reuera non minus sit illa, quæ desumitur à fundamento, tamen habetur communiter tanquam si non esset; vnde communiter censeſci solent motus distinctæ speciei, qui habent distinctos terminos, & eiusdem speciei, qui habent terminos eiusdem speciei. Et hoc tantum vult Philosophus tex. 31. & sic etiam quicumque alius ex antiquis Doctoribus, cuius auctoritatem non placeret negare, exponi potest.

27 Obijciens. Idem calor erit in specie siue in ligno, siue in aqua: ergo & eademeductio in specie, & consequenter idem motus in specie; ergo non desumitur specifica diuersitas motus à diuersitate subiectorum.

Confirmatur: quia denominatio motus accipitur à termino solummodo: ergo & specificatio. Probat antecedens: quia motus ad calorem dicitur calefactio, motus ad albedinem dealbatio, & ita de reliquis.

Respondet negando consequentiam: quiaeductio dicit ordinem essentialē ad subiectum sic, vt non possit esse in alio, calor autem non dicit talem ordinem.

Ad confirmationem respondeo, negando consequentiam, quia denominatio illa est arbitraria, & si placeret hominibus possent etiam desumere illam à subiecto; vt si vellent vocare motum ligni ad albedinem ligni albationem, hæc enim denominatio non à termino solum, sed à subiecto desumitur.

CONCLUSIO III.

28 Non desumitur specificatio motus à termino positio à quo. Hæc est communior, & patet: quia acquisitio termini ad quem eadem numero & specie posset esse, quamuis diuersissimi essent termini positui à quibus: eadem enim numero & specie dealbatio posset esse, siue subiectum mutaretur à nigredine, siue à rubedine, siue à quocumque alio calore, imo esset eadem, quamuis nullus præcessisset terminus à quo positius, quia reuera nullam habet essentialē connexionem cum termino positio à quo; frustra enim & absque vlllo fundamento assereretur talis connectio. Quæ res tam clara est, vt non indigeat vltiori probatione, præsertim cum oppositæ sententiæ nullum sit vllius pondere fundamentum.

CONCLUSIO IV.

29 Idem daretur aliquod agens, quod posset mouere determinatis motibus, quibus non posset mouere aliud agens diuersæ speciei, motus illi qui prouenerent ab ipso, posset specificari per ordinem ad illud agens, non recurſendo ad terminum ad quem; quando autem motus proueniens ab agente vnius speciei potest prouenire ab agente diuersæ speciei, distinctio specifica motus non potest prouenire ab agentibus. Hæc videtur esse quoad primam partem contra Mastrum. Sed probatur illa pars prima ex dictis: quia ad cognoscendum quod aliqua distinguantur specie, sufficit quod cognoscatur vnum ex ipsis dicere ordinem ex natura sua intrinseca ad speciem aliquam, ad quam alterum non dicit ordinem, quia ex illo ipso ordine sequitur necessario distinctio specifica ipsius; ergo eo ipso, quo motus aliquis petit ex natura sua intrinsece prouenire ab agente vnius speciei, à quo alius motus nequit prouenire, debet colligi esse distinctæ speciei ab alio motu, & consequenter in tali casu specificaretur motus à tali agente.

Probat etiam secunda pars: quia non potest colligi diuersitas specifica aliquorum per ordinem ad aliquam, nisi quatenus vnum respiceret aliquid, quod alterutrum non respicit: ergo quoties vnus motus potest prouenire à diuersis specie agentibus, non potest colligi quod motus proueniens

Non desumitur specificatio motus à termino positio à quo.

Quomodo ab agente posset desumi specificatio motus.

Distinctio specifica motus desumitur à distinctione specifica termini.

Vniuersa specifica motus desumitur partim ab unitate specifica termini.

Ex diuersitate specifica subiecti etiam determinatur distinctio motus.

proueniens ab vno ex illis agentibus distinguatur specie a proueniente ab altero agente.

30 *Obijcies* contra primam partem: Aristoteles agens de specificatione motus, non facit mentionem de motore: ergo putauit motum specificari à motore.

Respondeo, quidquid sit de antecedente, negando consequentiam: quia sufficiebat intento ipsius dare aliqua principia, vnde specificatio motus posset colligi, nec erat necesse, vt assignaret omnia specificationis principia.

Obijcies secundo quotiescumque sunt motus qui exigunt determinata agentia ita, vt vnus non possit provenire ab eo, à quo alter provenit, necessario illi motus habebunt distinctos specie terminos: ergo in tali casu sufficienter desumi potest specificatio eorum à terminis, nec est recurrendum ad agentia.

Respondeo primo concedendo totum; nec id est contra conclusionem, quæ non dicit, necessario debere desumi specificationem motus ab agente ita, vt aliunde non posset desumi; sed eam ab ipso etiam posse aliquando desumi in casu tali, si casus ille sit possibilis.

Respondeo secundo dubitari posse de antecedente, quia posset fieri quod calefactio vnus subiecti non posset provenire ab vno agente, & posset ab alio: in tali autem casu motus istius subiecti specificaretur ab agente, hoc est colligeretur distinctio specifica ipsius ab alia calefactione alterius subiecti proueniente ab alio agente; cum tamen vtrique calefactio haberet terminum eiusdem speciei.

31 *Dices*: si terminus vtriusque calefactionis sit eiusdem speciei & etiam subiectum; non videtur possibile quod vna posset ab vno agente provenire, à quo non posset altera: vel ex parte termini vel ex parte fundamenti haberetur specificatio motus, & consequenter non specificatur ab agente.

Respondeo negando ultimam consequentiam, tum quia licet sufficienter haberetur specificatio ipsius à termino & fundamento, tamen posset etiam sumere specificationem ab agente: tum præcipue quia posset distinctio subiectorum aliquando desumi ab agentibus nam eo ipso quo videretur vnus subiectum posse calefieri ab aliquo agente, à quo alterum non posset, colligi posset optime distinctio vtriusque subiecti.

Quod si quæras absolute & simpliciter, an distinguantur etiam specie ex distinctione specifica agentium.

Respondeo, in sententia eorum qui identificant motum & actionem, affirmatiue, quia quoties agentia distinguuntur specie, toties necessario actiones distinguuntur specie, & consequenter motus, propter easdem rationes, quibus probatum est motus distingui specie, quoties subiecta distinguuntur specie. At in sententia nostra, qui distinguimus realiter actionem à motu, existimo eundem numero motum qui provenit ab vno agente, posse provenire ab alio agente specie distincto, & consequenter non necessario distingui specie motus ad distinctionem agentium specificam.

32 *Ex his patet* quomodo poterit colligi quinam motus sint eiusdem speciei: nam omnes illi motus, ad quos distinguendos specie non habemus principia sufficientia, neque ex parte termini ad quem, neque ex parte subiecti, neque ex parte agentis, debent dici esse eiusdem rationis, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate.

Dices: motus successivus & instantaneus sunt diuersæ speciei, & tamen posset fieri, quod ab eodem agente idem subiectum moueretur ad eundem terminum specie, nunc successivus nunc instantaneus, vt si Deus aquam calefaceret hodie in instanti & cras successivus: ergo non debet dici quod motus omnes sint eiusdem speciei, quando non habemus sufficientia principia ad eos distinguendos specie neque ex parte agentis, neque ex parte subiecti, neque ex parte termini ad quem.

Respondeo distinguendo maiorem: in quantum dicunt acquisitiones terminorum, nego maiorem: in quantum acquisitiones illæ, quæ sunt in motu successivo, includunt negationem coexistentiæ in prima productione sui concedo maiorem; & concessa minori, distinguo consequens: in quantum dicunt acquisitiones terminorum, nego consequentiam; in quantum vnus ex ipsis dicit negationem

istius coexistentiæ suarum partium pro prima productione, quam negationem non dicit alter motus, nempe instantaneus, concedo consequentiam.

33 *Dices secundo*: motus successivus, vt successivus, dicit essentialiter illam negationem: ergo si distinguitur ab instantaneo vt dicit illam negationem, distinguitur essentialiter ab illo, vt est successivus, & consequenter si non potest colligi quod sit successivus ex termino agente aut subiecto, non poterit esse vera doctrina præmissa.

Respondeo, negando consequentiam ultimam, quia doctrina præmissa tantum vult, quod motus, qui non apparent distinctæ speciei ex semetipsis, sed quorum distinctio specifica debet colligi ab extrinseco, non debeant distinguui specie, nisi vel termini, vel subiecta, vel agentia sint distinctæ speciei, & non sufficere etiam quod agentia sint distinctæ speciei, distinctio autem illa successionis & instantaneitatis apparet in ipsis motibus ex semetipsis absque recurso ad extrinsecum principium. Deinde conclusio loquitur de motibus quo ad positum, quæ includunt, non quoad negatiua, quæ ab illis positiuis separari possunt.

34 *Dices tertio*: motus quo mouetur voluntas libere, & quo mouetur necessario, sunt distinctæ speciei: sed ipsorum distinctio non apparet ex ipsis motibus, neque colligi potest ab agente aut subiecto aut termino: ergo adhuc non significatur sufficienter quomodo potest colligi distinctio aut unitas specifica motus. Probat minor quoad primam partem: quia qui videt hominem volentem aliquid, non scit eo ipso vtrum necessario velit an libere: ergo non apparet ex ipsis motibus quod sint distinctæ speciei motus liber, & motus qui est necessarius. Probat quoad alias partes: quia si moueret voluntas se ipsam libere ad eandem volitionem, ad quam alias moueret se necessario, esset idem terminus & idem subiectum, & idem agens, & tamen motus illi essent distinctæ speciei: ergo distinctio illorum motuum non posset desumi à termino, subiecto aut agente.

Respondeo negando minorem: nam quando mouetur libere mouetur à se ipsa, quando verò mouetur necessario, mouetur ab aliquo alio, & consequenter illi motus habent agentia distinctæ speciei, imo & terminos, etiam ex suppositione, quod voluntas non possit necessitari ad volitionem aliquam quam libere producit, quæ est sententia multorum.

Ad probationem minoris, quoad alias partes, *Respondeo* negando suppositum, nempe quod voluntas posset mouere se necessario ad volitionem illam, quam libere producit, saltem absque concurrentia alicuius alterius causæ, quæ non concurreret, quando produceret illam libere; quod si concurreret alia causa, tum distinctio volitionum illarum, quantum ad libertatem & necessitatem posset desumi ab ordine ad illam aliam causam.

35 Sed vt rem ipsam declaremus, vel illa ipsa volitio, quæ est libera voluntati, potest esse necessaria ipsi, vel non; si non potest, tollitur tota difficultas, quia quando mouetur libere & necessario, habet terminos distinctæ speciei. Si potest, dicendum est, quod volitio libera & necessaria, & motus liber, ac necessarius non distinguantur specie, quoad entitatem suam, sed quod distinguantur accidentaliter, quia vna nimirum provenit à voluntate, vt est potens eam producere, vel non producere, eadem verò volitio, vel alia eiusdem speciei, vt est necessaria, habet provenire à voluntate, vt ponit habet facultatem ponendi oppositum; de quo in libris de anima disputatione de voluntate.

CONCLUSIO VI.

36 *V*nitatis numerica motus requirit necessario unitatem subiecti, ac termini ad quem; non verò temporis, nec termini à quo positiui, nec agentis, nisi quando agens coincidit cum subiecto. Hæc est communior, & probatur prima pars: motus est respectus, & consequenter dicit essentialem connexionem cum fundamento, ac termino; ergo nequit esse vnus numero, nisi sit vnus numero terminus, & vnus numero subiectum.

Probat, quoad secundam partem de tempore, ac termino à quo positiui, quia non potest assignari, cur haberet necessariam connexionem cum illis sic, vt non posset

Quando motus sunt eiusdem speciei.

Quomodo motus successivus & instantaneus distinguantur specie.

Quomodo distinguuntur volitio libera à necessaria.

Unitas numerica motus requirit unitatem subiecti ac termini ad quem non vero temporis nec agentis.

posset esse absque illis idē numero motus: quæ etiā ratio probat de agente, nisi in casu, quo excipitur: excipitur autem ille casus, quia quando coincidunt agens & subiectū, sicut motus idē numero nequit habere plura subiecta, sed numeratur pro numeratione subiectorum; ita etiam numerari debet pro numeratione agentium. Quod si motus & actio identificarentur, vniuersaliter deberet motus numerari pro numeratione agentium: nam sicut vna numero actio non posset provenire à pluribus numero agentibus, ita etiā vnus numero motus ab illis provenire posset.

Aduertendum porro, quod de facto motus producti diuerso tempore sint distincti numero, quia idem terminus numero non produciuntur diuersis temporibus; & eodem modo etiā diuersificatur numero de facto pro diuersitate agentium quia diuersa agētia adæquata (de quibus loquor) non produciunt eundem numero terminum; nec hoc est contra conclusionem, quæ solum allērit, quod non necessario simpliciter loquendo motus numeretur pro numeratione temporis, aut agentis.

Addendum deinde, quod quando dicimus motum specificari à termino, id præcipue intelligendum de termino proximo, qui per motum illum immediate acquiritur; non vero de termino remoto, & mediate ad quem disponderet, & esset ordinatus à natura terminus ille proximus; nam calefactio ordinata ad ignem non necessario distinguitur specie ab ea, quæ ordinatur ad lapidem.

QVÆSTIO IV.

Quomodo Motus opponuntur inter se, & cum quiete, & ad quæ predicamenta datur.

Quomodo motus inter se contrariantur.

37 *Q* Vinque modis ait Philosophus motus inter se contrariari. Primo si terminus à quo vnus est terminus ad quē alterius: vt si mobile moueatur ab aliquo alio ad calorem, & si à calore moueatur ad aliquid aliud: contrariantur autem hi motus, quia non potest fieri, vt simul & semel mobile moueatur duobus moribus, quorum vno moueretur à calore, verbi gratia, & alio moueretur ad calorem, alias moueretur & non moueretur ad calorem.

Secundo, si termini à quibus sint contrarij, vt si quidpiā moueretur à nigredine & ab albedine; hi motus sunt contrarij: quia non potest fieri saltem naturaliter, vt mobile idem possit moueri simul & semel à formis contrariis, verbi gratia, à calore & frigore: tum quia vel calor & frigus non possunt esse simul in eodem subiecto, atque adeo nec poterit simul ab illis moueri; vel certe si possint esse simul, non potest moueri à calore, nisi per introductionem frigoris: sed quando introducit frigus in mobile, non potest moueri à frigore, quia mouetur ad frigus, alias moueretur simul à frigore & ad frigus.

Tertio, si termini ad quos sunt contrarij, vt si moueretur quis ad calorem & frigus: & quidem hi motus sunt contrarij, quando termini ad quos, perveniunt ad illum gradum, in quo sunt incompatibiles, quia tum certum est idē mobile non posse simul illis moribus moueri; quia alias termini ad quos non essent incompatibiles: at licet termini ad quos aliquorum motuum essent secundum speciem contrarij, si tamen hoc non obstante possunt esse incompatibiles in aliquibus gradibus remissis, motus ad illos in illis gradibus non erunt contrarij, proprie loquendo, quādoquidem idem subiectum posset illis simul moueri.

38 *Q*uarto, si terminus à quo vnus est contrarius termino ad quem alterius, vt si quidpiā moueretur à frigore, & aliud vel idem ad calorem. Addit autem Philosophus, inter duos motus non esse contrarietatem, quia vnus & idem motus potest esse & à termino à quo & ad terminum ad quem, qui sunt termini contrarij, vt si quis moueatur à frigore ad calorem.

Sed contra hoc dices, si quis moueretur à frigore ad aliquid aliud quod non esset calor, vt verbi gratia, albedinem, & idem vel aliud moueretur ad calorem, non esset vnus & idem motus, sed duo motus distincti: si vi: ergo non obstante ratione Philosophi huiusmodi motus possent esse contrarij.

Respondeo, negando consequentiam, quia quotiescūque, transitur à frigore ad aliquid aliud, quod non est calor ille motus erit compatibilis cum motu ad calorem: ergo nunquā potest fieri quod motus à termino, à quo qui est contrarius termino ad quem, sit contrarius motui, quō acquiritur terminus ille ad quem.

Quinto denique, si tam termini ad quos, quam terminus à quibus sint contrarij, vt si detur motus à calore ad frigus, & à frigore ad calorem: & hi motus sunt contrarij propter rationes illas, propter quas motus contrarij secundo & tertio modo sunt contrarij.

Dices: motus à frigore ad albedinem, & à calore ad albedinem sunt eiusdem speciei: ergo non sunt oppositi, & consequenter falsa est secunda oppositio. Probatur antecedens quia motus non specificatur à termino à quo positiuo, vt dictum est quæstione præcedenti: probatur consequentia quia res eiusdem speciei non opponuntur.

Respondeo, distinguendo consequens: non opponuntur inter se proprie loquendo, concedo; non opponuntur in hoc sensu, quod idem vtroque motu nequeat simul moueri, sicut potest aliis diuersis motibus, nego consequentiam.

39 Et hoc sufficiat quantum ad oppositionem motuum inter se; quantum autem ad oppositionem motus cum quiete, aduertendum est duplicem posse considerari quietem mobilis: vnā quæ consistit in permanentia eius sub forma, à qua receditur per motum, & quæ est terminus à quo eius; alterā, quæ consistit in permanentia mobilis sub termino ad quem motus. Certum autem est, motum, vt motum, vtroque quieti contrariari & opponi in hoc sensu, quod motus, vt motus, cum neutra quiete possit simul esse in eodem mobili: non quidem cum quiete, quæ est permanentia eius sub termino à quo, quia per motum tollitur illa quies, sicut & ipse terminus à quo, alias non esset terminus à quo: nec etiam cum quiete, quæ est permanentia eius sub termino ad quem, quia quando permanet sub illo termino, iam non est amplius motus, nec verum est proprie, quod mobile moueatur, sed quod fuerit motum. Quia tamen motus ordinatur ad illam quietem, & hæc acquiritur mediante motu, sicut tollitur per motum altera quies, potest dici quod non tam proprie contrarietur, aut opponatur quieti, quæ est permanentia sub termino ad quem, sicut contrariatur quieti, quæ est permanentia sub forma, quæ est terminus à quo: nec de hoc potest esse alia difficultas, quam de nomine, nec etiam indiget alia probatione quam explicatione: & propterea ad determinandas has duas quæstiones huius partes, non adhibui conclusiones vllas expressas, sicut iam ad vltimæ partis solutionem adhibebo.

CONCLUSIO I.

40 *D*atur motus ad substantiam, quantum ad substantiam & qualitatem. Hæc est communior, & probatur quoad primam partem de substantia: quia materia prima mouetur ab vna forma substantiali ad aliam, & mediante hoc motu ipsius produciuntur substantia ex materia & forma illa resultans: ergo datur motus ad substantiam.

Datur motus ad substantiam quantum ad substantiam & qualitatem.

Dices illum motum non esse motum proprie dictū, quia non est successiuus, sed esse instantaneam mutationem.

Contra, quia hic agimus de motu vt sic, abstracto à successiuo, & instantaneo.

Deinde, quando comburitur successiue palea, est satis probabile, vt alias dicemus, quod producat successiue forma substantialis ignis, & quod materia prima paleæ moueatur successiue: ergo quamuis ageretur hic de motu successiuo, adhuc verum esset, quod daretur motus ad substantiam.

Probatur quoad quantitatem: quia quantitas de nouo acquiritur in augmentatione, ita vt substantia quæ antea erat minor, postea fiat maior, & quidem acquiritur successiue mediante actione vera & reali: ergo datur motus ad illam.

Confirmatur in illa sententia, quæ tenet quod in rarefactione acquiratur noua quantitas sine subiecto nouo substantiali, quia hoc supposito non potest esse vlla tergiuersatio, quin admitti debeat hæc pars conclusionis. An autē illa sententia sit vera, suo loco dicetur in libris de generatione.

Y y 41 *Aduerte*

41. *Adhuc autem hic quod si ponatur quantitas co-
ua materię, & in ipsa subiectata; & p̄terea negetur quā-
ritas noua absque nouo subiecto acquiri in rarefactione,
nō posse admitti motum ad quantitatem, quo moueretur
aliquid subiectum inhesionis ad quantitatem, quamuis
posset admitti & deberet motus, quo aliquod subiectum
acquireret nouā quantitatem, quę continuaretur cum prę-
cedenti suę quantitate per continuationem aut contigua-
tionem, sic ut haberet denominationem aliquam quāti-
tatis nouę, quę ante non habuit. Quod sufficit ad
veritatem conclusionis quoad hanc partem. Si vero teneat-
ur magis communis sententia Scolasticarum, quam in Lo-
gica probauimus, quod sc. quantitas subiectetur in toto
composito, quamuis dicatur, ab ipso met composito phy-
sice & quidem per veram actionem realem produci, ad-
huc non deberet admitti motus proprie dictus, nec suc-
cessiuus, nec instantaneus ad quantitatem sic productā, quę
moueretur ad illam aliquod subiectum inhesionis, quia
subiectum illa compositum, a quā emanaret ac produceretur
quantitas non existit pro vilo instanti temporis, pro quo
non existit quantitas requiritur autem ad motum forma-
liter loquendo, & rigorose, quod sit ratiōis subiecti prius
existens ad formam, quam ante non habuit. Vnde in hac
sententia non debet admitti motus subiecti inhesionis ad
quantitatem, nisi teneatur quantitas noua absque subiecto
acquiri per rarefactionem, sed solum debet admitti motus
ad acquisitionem maioris quantitatis.*

*Probatur conclusio quoad tertiam partem de qualitate,
experientia quotidiana, quę constat subiectum non cali-
dum fieri de nouo calidum, & quidem successiue, de quo
nulla est controuersia.*

42. *Obiicitur prima ex Complutensibus contra primam
partem substantia non habet latitudinem successiue per-
currendam, quia ratione sui non habet partes, sed ratione
quantitatis: ergo non potest dari motus proprie dictus
ad illam.*

*Confirmatur: quia non habet aliquod contrarium, cui
determinare contrarietur, ergo non habet contrarietatem
requiritam ad motum, quia hęc debet esse inter determi-
nata extrema. Probatur antecedens: quia substantia non
fit per se ex alia substantia, sed ex priuatione.*

*Confirmatur secundo: quia contraria sub eodem genere
maxime distant, ergo in illo genere debent esse duo extre-
ma, a quorum vno ad aliud non potest veniri, nisi ordina-
tim & per medium, sed materia, dum exiit vna forma,
potest indifferenter recipere quancunque aliam formā,
absque vilo ordine: ergo formę substantiales non habent
contrarietatem sufficientem ad motum.*

*Respondet negando antecedens cum sua probatione; tam
enim substantia habet ex se partes, quam quantitas, vt
ostendimus in Logica. Deinde negari posset consequentia,
quia non requiritur ad motum talis latitudo in termino
suo.*

*Ad primam confirmationem respondeo, negando conse-
quentiam, neque enim requiritur ad motum quod termi-
nus eius habeat aliquid magis determinate contrarium
quā forma substantialis habet: & sane quamuis nullo
modo haberet contrarium calor, sed mutaretur ad ipsum
successiue aliquod subiectum, daretur motus successiuus
ad ipsum: & quamuis de facto contrarietas qualitatis de-
terminata conducat ad successionem motus, tamen non
est sola ratio, cur datur in eo successio sic, quin posset dari
successio in ipso, quamuis terminus eius non haberet qua-
litatem determinate contrariam. Adde, moueri aërem ad
lucem motu physico, quamuis lux non habeat qualita-
tem vllam contrariam.*

*Ad secundam confirmationem respondeo, distinguendo
antecedens: contraria propriissime dicta, qualia sunt qua-
litates, transeat: contraria quęcunque, nego antecedens,
& admissis ceteris propositionibus, nego vltimam conse-
quentiam, quia non requiritur ad motum contrarietas tā
stricta; imo nullo modo requiritur per se contrarietas ad
motum; nam vt iam dixi, sufficeret quod acquireretur vna
forma de nouo præferrim successiue, sine illa forma habe-
ret aliquam formam contrariam, siue non: quod si etiam*

necessario requireretur contrarietas, sufficeret talis, vt vna
forma formaliter excluderet alteram ab eodem subiecto.

43. *Obiicitur contra secundam partem: quantitas non ha-
bet aliquid contrarium, ergo non datur per se motus ad
illam, quia contrarietas requiritur ad motum. Probatur
antecedens, tū quia proprietas quantitatis est habere
contrarium secundum Aristotelem, tū quia si quantitas
haberet contrarium, maxime quantitas parua haberet pro
contrario quantitatem magnam: sed quantitas parua, &
magna nō opponantur contrarie, sed solum relatiue: vnde
non tollitur quantitas parua adueniente magna; sed
illa ipsa, manens simul cum adueniente quantitate facit
maiorē quantitatem.*

*Complutenses negant antecedens, ad cuius primam pro-
bationem dicunt, Philosophum loqui de contrario pro-
priissimo, quale solum habet qualitas, cum quo stat quod
quantitas habeat contrarium minus proprium, quod suf-
ficit ad motum. Ad secundam probationem dicunt quanti-
tatem paruam sub ratione parue formaliter non manere,
sicut eadem quantitas, quę erat parua specificatiue lo-
quendo, maneat; & hoc sufficere ad hoc vt dicatur con-
traria quantitati magnæ.*

*Sed facilius responderetur negando requiri ad motū con-
trarietatem, licet ad motum successiuū in qualitatibus id
fortassis de facto requiratur: & sane si sufficeret ad hoc
quod quantitas parua contrarietur magnę, quod sub ratio-
ne parue non maneat cum magna, similiter vnus gradus
caloris posset dici contrarius duobus gradibus, quia sub
ratione vnus nō manet, quando aduenit secundus. Videtur
autē absurdū dicere, quod calor paruus, seu minus intensus
opponatur contrarie calori magno. Omitto breuitatis cau-
sa impugnare aliam doctrinam, quam Complutenses eo-
dem loco adducunt ad probandum, quod quantitas parua
dicatur parua absolute & non respectiue ad aliam quan-
tatem; quę quidē doctrina est facillima impugnationis.*

CONCLUSIO III.

44. *Non datur motus proprie dictus ad relationes tertię
predicamenti neque ad vbi intrinsecum aut extrin-
secum: neque ad entia reliquorum predicamentorum bene
tamen potest dari motus ad locum extrinsecum, hoc est ad su-
perficiem continentem rem quę localiter mouetur. Hęc est
communis præter illam partem de vbi intrinsecum, quę mi-
nus communis videtur.*

Non datur
motus pro-
prie dictus
ad relatio-
nes tertię
predica-
menti, nec
ad vbi nec
ad alia pre-
dicamenta.

*Probatur prima pars: quia motus proprie dictus nō da-
tur ad aliquid, nisi ad illud, ad quod datur actio physica
proprie dicta vt patet ex cōmuni consensu & acceptione
motus proprie dicti: sed non datur talis actio ad relatio-
nes tertię predicamenti, quę habent suum esse per resul-
tantiam & propterea debent necessario resultare suppo-
sitis prærequisitis ita, vt nec Deus ipse possit impedire ea-
rum resultantiam: ergo non datur ad ipsas motus.*

*Probatur conclusio quoad secundam partem de vbi: quia
secundum communem sententiam non datur motus ad
motum: sed vbi intrinsecum est formalissimus motus, quo
mouetur mobile ad superficiem talem, ergo ad illud non
datur motus.*

*Probatur secundo quoad eandem partem: quia mobile
non acquirit vbi intrinsecum per alium respectum distin-
ctum, tū quia daretur processus in infinitū, tū quia gra-
tis assereretur aliquis talis respectus: sed illud, ad quod da-
tur motus proprie dictus, debet acquiri per respectum di-
stinctum; ergo ad vbi non datur motus proprie dictus.*

*Confirmatur: quia non est maior ratio cur daretur motus
ad vbi intrinsecum, quam ad quando intrinsecum, & ha-
bere intrinsecum, sed ad hęc secundum omnes non datur
motus: ergo nec ad vbi intrinsecum.*

*Probatur tertia pars de aliis predicamentis, quia si nō
datur ad vbi, nec ad illa dari potest propter similem ra-
tionem, aut fortassis propter maiorem, quia multi dicunt
dari motum ad vbi, qui negant dari motum ad alia præ-
dicamenta.*

*Probatur quarta pars: quia reuera acquirit mobile de
nouo locum extrinsecum, & quidem successiue, per vbi
intrinsecum tanquam per acquisitionem formale ipsius,
non minus quam aqua acquirit calorem. Nec refert quod
consequen-*

Datur ma-
ius ad lo-
cum consi-
deratum.

locus ille intrinsecus non subiectetur in mobili: hoc enim non requiritur ad motum; nec etiam refert quod non accipiat esse per motum quantum ad substantiam: sufficit enim quod quando fit motus ad ipsam, accipiat per actionem causæ efficientis aliquid vnde contineat actu locatum, quod non habeat ante illam actionem.

45 *Obiicies:* Ad ubi intrinsecum datur actio: ergo & motus; ad omne enim illud, ad quod datur actio præsertim successiva, qualis datur ad ubi, datur motus proprie dictus.

Respondeo negando consequentiam cum sua probatione; nam ad hoc quod detur motus ad aliquid, ultra hoc quod terminet actionem, debet esse aliquid acquisibile per aliud, & quod non sit acquisitio alterius essentialiter: tale autem non est ubi.

Obiicies secundo: Philosophus dicit dari motum ad ubi.

Respondeo cum loqui de ubi extrinsecum materialiter sumpto, id est de superficie continente.

Obiicies tertio: Scotus explicat Philosophum, dum dicit ad relationem non dari motum, ait ipsum intelligendum de relationibus intrinsecis aduenientibus; non de relationibus extrinsecis aduenientibus: ergo secundum ipsum datur motus ad relationes extrinsecas aduenientes: sed ad nullas potius quam ad ubi, ergo &c.

Respondeo Scotum loqui de motu agæris, ut agens est, qui motus coincidit cum actione: & concedo ad ubi dari tale motum, nec id est contra conclusionem: non vero loquitur de motu mobilis, ut mobilis est, qualis est ille, quæ negamus terminari ad ubi, aut ad alia prædicamēta vltima.



DISPUTATIO XIV.

De Infinito.

QUAMVIS Infiniti natura finiti intellectus capacitatem transcendat, qui in earum quæ limites habent, rerum contemplatione ut plurimum cæcutit; non poterat tamen omnium manibus trita præteriti materia absque aliquo examine, ut vel inter vulgares dicendi modos, qui probabilior apparet, in nostra sententia, declaretur; aut si nihil resolui possit, utriusque partis difficile ultas appareat.

QVÆSTIO I.

Quid sit Infinitum, & an dari possit.

NON agitur hic de re infinita & illimitata perfecti o-
nis qualis est Deus, quæ certum est dari à parte rei, & quo non dato nihil aliud daretur; sed de aliquo toto includente infinitas partes separabiles. Huiusmodi autem Infinitum describitur à Philosopho esse illud, cuius semper est aliud extra accipere: cuius descriptionis ab omnibus communiter admittitur sensus est, quod Infinitum sit illud, quod habet tot partes finitas, ut capiendo partem post partem semper remaneat aliqua pars accipienda sic, ut nunquam possit assignari aliquis numerus determinatus partium quas habet, nec quidem ab ipso Deo. Huiusmodi autem infinitum duplex communiter assignari solet: vnum quod vocant Categorematicum; alterum Syncategorematicum.

Categorematicum, quod simpliciter infinitum dicitur, est quod includit actualiter tot partes determinatas, quarum vnaqueque assignabilis sit, ut si numeraretur aut destrueretur vna post alteram, semper restarent aliæ numerandæ, ac destruendæ, tale infinitum esset linea infinite protensa, & aggregatum ex infinitis hominibus.

Infinitum syncategorematicum est, quod habet quidem tot partes, ut nunquam possit assignari numerus determinatus partium eius, quin plures adhuc partes habere possit, licet nunquam possit habere tot partes determinatas simul existentes, quin possit assignari numerus determinatus partium determinatarum eius: huiusmodi infinitum est quodlibet continuum finitum ex suppositione quod non constet solis indivisibilibus, quia nunquam potest assignari, nec ab ipso Deo, numerus determinatus partium eius sic, quin possit ostendi quod necessario debeat habere

plures partes; reuera tamen potest assignari numerus determinatus omnium partium determinatarum eius: potest enim dici quod habeat tres pedes aut quatuor aut quinque aut mille, & quod non habeat plures: tale etiam infinitum est collectio cogitationum omnium, quæ futurae sunt per totam æternitatem, quia non potest assignari numerus vllus determinatus earum quæ erunt, quin necessario possit assignari maior numerus; & quia nunquam erūt nec fuerunt tot actu ex ipsis, quin possit assignari numerus determinatus earum, quo maior nec est nec erat, ex ipsis. Tale etiam infinitum est collectio omnium hominum possibiliū, si simul poni non possunt à parte rei, propter eandem rationem.

2 *Hoc supposito* de natura infiniti; de triplici infiniti communiter quæri solet an sit possibile; de infinito quoad numerum, ut an possit dari numerus infinitus hominum; de infinito quoad extensionem, ut an possit dari quæritas verbi gratia linea infinite protensa; & de infinito quoad intensionem, ut an possit dari qualitas infinitæ intensionis. Additur denique, an etiam possit dari in creaturis infinitas perfectionis essentialis.

Plures in hac re sunt sententia, sed principales sunt tres: prima negat vllum infinitum categorematicum esse possibile. Ita Thomiste magis communiter, quos & alios plures citat & sequitur Aversa quæst. 24. sect. 3. & Complures diff. 18.

Secunda concedit infinitum in multitudine, extensione & intensione esse possibile de potentia absoluta. Hanc tenent Nominales cum Occamo quodl. 1. q. 5. quos plurimi recentiores sequuntur & præsertim Hurrius & Ariagahic & Fasolus fusi sime 1. p. q. 7.

Tertia sententia negat infinitum in magnitudine seu extensione, & concedit in multitudine: in hanc inclinat Amicus hic citans multos alios.

CONCLUSIO I.

3 *Actus infinitum syncategorematicum in magnitudine & intensione, & etiam in numero.* Hæc est communissima, & probatur quoad magnitudinem: quia quodcumque continuum finitum, quod de facto datur, est tale infinitum, nam quodcumque tale habet in se tot partes, ut nunquam possit assignari numerus aliquis determinatus partium eius, quin evidenter possit ostendi, quod habeat plures partes; quocumque enim numero assignato, verum erit dicere, quod quælibet pars ex illo numero sit diuisibilis in duas partes vltiores: potest tamen assignari numerus aliquis determinatus partium determinatarum eius: ita ut ex similibus partibus non habeat plures: hoc autem est esse infinitum syncategorematicum quoad extensionem.

Nec refert, quod aliqui dicant nullum continuum habere partes actu, sed solum potentia: nam præterquam quod hoc falsum sit, non facit ad propositum: sufficit enim ad veritatem conclusionis, quod habeat illas partes in potentia, modo possit habere illas in potentia, quin habeat eas actu.

Probatur conclusio quoad intensionem: quia quæcumque qualitas intensa, quæ de facto datur, potest diuidi in infinitas partes, alias constaret ex indivisibilibus: non in infinitas determinatas, quia alias esset infinita categorematica: ergo in infinitas indeterminatas, hoc est, non in tot, quin possit in plures: ergo est infinita syncategorematica, quoad intensionem. An autem quælibet qualitas habeat aliam infinitatem syncategorematicam sic scilicet, ut non possit dari vnumquam vlla tam intensa, quin possit dari alia intensior: alias diceretur: sed resolutio non est necessaria ad probandam hanc conclusionem, quamvis probaret etiam illam, si teneretur pars negativa.

Probatur denique conclusio quoad numerum: quia numerus partium continui est infinitus syncategorematicus, ut patet ex probatione primæ partis, & etiam quia collectio cogitationum futurarum per totam æternitatem à parte post in cælo & in inferno est sic infinita: neque enim pro vilo vnumquam tempore aut instanti dabitur tanta multitudo earum, quin possit assignari determinatus numerus omnium cogitationum: quæ sunt in illa multitudine; & præterea nunquam assignari potest vllus numerus determinatus cogitationum, quæ futurae sunt per totam æternitatem, quin necessario plures adhuc sint futurae.

Y y 2 CON

Descriptio
infiniti.

Quid cate-
gorematicum.

Quid syn-
categorematicum.

CONCLUSIO II.

4 *Probabilius est dari posse infinitum categorematicum tam secundum extensionem, quam secundum numerum.* Hæc est iuxta secundam sententiam: pro qua non citavi Scotum, sicut nec modo cito illum pro hac conclusione, quia de hac re nihil resoluit, quoniam vel erat problematicus, vel dubius; nec immerito sane, quia sunt ingentes difficultates ab utraque parte, quas vix, aut ne vix quidem quis bene solvere possit, ut ex dicendis patebit.

Probatur primo & principalissime: quia huiusmodi infinita non repugnant; ergo possunt produci per infinitam potentiam Dei. Probatur antecedens: quia nulla potest assignari repugnantia in huiusmodi infinitis, cui similis non potest reperiri in infinito syncategorematico ab omnibus concesso: ergo non est repugnantia vlla, quæ impediat possibilitatem infiniti categorematici, sicut non est, quæ impediat possibilitatem infiniti syncategorematici.

Probatur secundo: quia omnis collectio entium realium potest simul poni à parte rei, nisi sit aliqua impossibilitas inter partes eius, sed non est vlla impossibilitas inter partes collectionis infinitorum hominum, aut infinitarum partium continuatarum vnius lineæ: ergo potest utraque collectio poni, & consequenter potest dari infinitum categorematicum, quoad numerum & extensionem, collectio enim illa infinitorum hominum erit infinitum, quoad numerum, & collectio infinitarum partium continuatarum lineæ erit infinitum, quoad extensionem. Probatur minor: quia non est impossibilitas inter illas partes, nisi vel ex ratione sua specifica, aut individuali, vel ex ratione infinitatis: sed non est impossibilitas inter illas ex ratione specifica, aut individuali, alias collectio duorum hominum, aut duarum linearum nequiret esse simul: nec ex ratione infinitatis, quia datur infinitum syncategorematicum à parte rei.

Dices: si impossibilitatem non oriri ex ratione infiniti ut sic: sed ex ratione infinitatis particularis talis, nempe categorematicæ.

Contra, non debet dici id oriri ex ratione talis infinitatis, nisi possit ostendi aliqua repugnantia particularis, quæ sequeretur ex positione huiusmodi infinitatis, qualis non sequeretur ex positione infinitatis syncategorematicæ: sed non potest talis ostendi, ut dictum est in prima probatione & patebit ex dicendis: ergo &c.

Confirmatur utraque hac probatio: quia Deus videt actu infinitos homines simul, & vnumquemque ex ipsis cognoscit, quatenus ab aliis omnibus distinguitur, & cognoscit etiam actu infinitas partes coniungi posse cum quacumque linea, quæ de facto datur: sed omnis repugnantia, quæ adduci potest contra illos homines & illas partes lineæ, si darentur à parte rei, possunt affecti contra illos, ut terminant cognitionem diuinam: ergo quandoquidem reuera actu terminant hoc non obstante cognitionem diuinam; licet non possimus bene soluere difficultates oppositas, debet etiam iudicari, quod possint poni à parte rei, quamvis non possimus solvere satis commode difficultates oppositas. Et sane hæc sola est ratio cur existimem hanc partem esse probabiliorē; quia quotiescumque aliqua conclusio, de qua dubitatur, non habet maiorem difficultatem, quam alia conclusio, de qua non dubitatur, debet omnino teneri non obstante illa difficultate, quamvis esset insolubilis.

Respondent aduersarij ad hanc confirmationem distinguendo antecedens: cognoscit infinitos homines syncategorematicæ, concedunt; categorematicæ, negant; cum enim secundum se non sint infiniti, nisi syncategorematicæ, non possunt à Deo alio modo cognosci, nam Deus debet cognoscere res ut sunt.

6 *Contra primo:* quia implicantiæ, quæ sunt contra infinitos homines categorematicæ, sunt contra infinitos syncategorematicæ: ergo si infinitos categorematicæ non videt, nec videbit infinitos syncategorematicæ: antecedens patebit postea.

Contra secundo quia certum est quod ipse actu videat aliquem numerum hominum possibilem, sed ille numerus debet esse infinitus categorematicæ, vel finitus categor-

maticæ, nec enim inter hæc datur medium, nam numerus infinitus syncategorematicæ, qui solus posset cogitari medius, debet necessario esse vel finitus categorematicæ vel infinitus: sed non potest dici, quod sit finitus categorematicæ, quia si numerus ille, quem actu videt hominum possibilem, sit finitus categorematicæ, potest illum producere actu sine dubio, quia nemo negat quin Deus possit producere quemcumque numerum determinatum & finitum hominum: ergo Deus non posset plures homines producere quæ essent in numero aliquo determinato & finito; quod est absurdum: tum quia hinc sequeretur contra aduersarios quod numerus hominum possibilem non esset infinitus categorematicæ: tum quia absurdum est potentiam infinitam Dei non posse extendere se ad maiorem numerum individuorum alicuius speciei non incompatibilium, quæ est quicumque numerus determinatus & finitus.

Confirmatur: quia quando dicunt quod cognoscat infinitos syncategorematicæ tantum, vel intelligunt quod ipse non videt tot, quin plures possit videre, quod est absurdissimum, quia poneret in Deo aliquem defectum scientiæ, cum non videret omnia possiblea: vel intelligunt quod non videat infinitos homines ut possibilea simul existere, & hoc non facit ad rem quia iam non querimus an videat infinitos homines qui simul possint existere, sed an videat infinitos homines, quorum quilibet seorsum possit existere.

7 *Dices* per hoc intelligi quod videat infinitos homines in infinitum.

Contra, quia non potest actu videre finitos in infinitum, quin actu videat plures homines quam sint in numero quocumque determinato finito: ergo numerus ille quem actu videt, debet esse absque fine & infinitus consequenter.

Aduertendum autem pessime & mala fide ab *Hurtado* adduci Scotum pro sententiâ, quæ negat Deum cognoscere actu infinita; neque enim id ipsi vnquam venit in mentem: quamvis enim in 3. dist. 13. quest. 4. neget gratiam actualem posse intendi in infinitum: hoc tamen est longe diuersum ac dicere quod Deus non cognoscat infinitos homines possibilea; & quamvis etiam gratia non posset intendi in infinitum secundum Scotum, tamen non sequeretur inde quod homines non essent multiplicabiles in infinitum; neque in toto Scoto quidpiam reperitur certius quàm quod sint possibilea infiniti homines, seu quod numerus hominum possibilem sit infinitus, vel categorematicæ, vel syncategorematicæ, & quod ut sic debeat necessario cognosci à Deo, qui omnia cognoscibilia necessario cognoscit.

Solutio obiectionum.

8 *V*ariæ afferuntur ab aduersariis implicantiæ contra possibilitatem infiniti, ex quibus plurimæ nullius sunt momenti, & ab aliquibus ex ipsismet soluuntur, ut videre est apud *Auerfam* q. 24. Aliæ vero sunt sane valde difficiles, & propter quam oppositam sententiam tenerem, nisi militarent contra obiecta possiblea cognita à Deo, & contra infinitum syncategorematicum. Has ergo difficiliore hic proponam, & quantum possum solvere conabor.

Prima implicantiæ est contra infinitum in extensione; si daretur linea infinita ab hoc puncto protensa in Orientem in infinitum, posset ab eodem puncto alia linea infinita protendi in Meridiem in infinitum; non n. est maior ratio de possibilitate vnius lineæ, quam alterius: sed si hoc fieret, sequeretur utramque lineam à se inuicem in infinitum distare, quia facerent angulum in puncto, à quo utraque duceretur, & quia duæ lineæ facientes angulum, quod longiores sunt, eo magis inter se distant, & consequenter si sint infinitæ longitudinis, distabant in infinitum: sed implicat quod distent in infinitum, quia daretur distantia infinita inter duo puncta determinata, seu inter duas lineas illas determinatas.

Respondet primo, huiusmodi argumentum posse proponi contra illas lineas ut terminant cognitionem diuinam nam extensio possibilis quam actu videt Deus linearum duarum ab hoc puncto incipiendum & protrahendarum ad orientem & meridiem, est omnino infinita, & consequenter distantia

distancia possibilis, quæ est inter utramque, debet esse infinita: non obstante, quod claudatur illis duabus lineis possibilibus.

Respondeo secundo, negando subsumptum: quemadmodum enim si daretur circulus aliquis infinitus, qualis possibile iudico non minus, quam quodcunque aliud infinitum, daretur punctum, in quo inciperet, & finiret, & tamen hoc non obstante linea illa incipiens in illo puncto, & in eodem desinens esset simpliciter infinita: ita etiam non est inconueniens, quod linea incipiens ab una ex illis lineis, & desinens in alia esset infinita: & ratio utriusque est, quod ad infinitum sufficiat habere tot partes determinatas, quæ non possent reduci ad ullum numerum determinatum, & quæ si numerarentur una post alteram, non posset quis ad finem peruenire, nisi infinito tempore.

Secunda implicantia contra idem infinitum est, si Deus crearet lineam aliquam, quæ & versus orientem & versus occidentem esset protracta in infinitum, posset illa diuidere in puncto A, & applicare partem illam, quæ erat versus orientem ad partem illam, quæ erat versus occidentem lateraliter. In hoc casu quæritur, an in quocunque puncto fieret diuisio, linea esset æquales; vel potius unum certum punctum sit, in quo si secetur, erunt æquales: neutrum dici possit. Non primum, quia si quando secaretur in puncto A, essent æquales, si secaretur in puncto B, non essent æquales, quandoquidē una linea haberet aliquas partes, quas non haberet, quando fieret sectio in puncto A, & altera non haberet aliquas partes, quas tum haberet, nimirum illas, quas haberet altera. Non etiam secundum, quia non esset ratio cur secta in hoc puncto essent potius æquales, quam in alio puncto, quandoquidem vbicunque secaretur utraque linea esset infinita.

Confirmatur quia si daretur linea infinita, posset auferri ab ea vnus palmus, & adhuc maneret infinita. Tum quæro an cum illo palmo ablato esset maior, quam sine illo: si esset maior, ergo vno infinito daretur aliquid maius: si non esset maior, ergo additio partis non facit maius: quod videtur absurdum.

10 Respondeo hanc obiectionem non vrgeri magis contra infinitum in extensione, quam contra infinitum in numero: vrget simile argumentum de ablatione vnus hominis à numero infinito hominum; unde non potest bene proponi ab illis authoribus, qui concedunt possibilitatem infiniti in numero, & negant possibilitatem infiniti in extensione. Quia sane authores minus consequenter loquuntur; nam vel eadem implicantia de vtroque infinito concludunt, vel non minus difficiles implicantia adduci possunt de infinito in numero; quam de infinito in extensione; unde idem sentiendum est de vtroque.

Respondeo secundo directe, quod in quocunque puncto secaretur illa linea, si utraque pars esset infinita, utraque etiam esset æqualis, & si adderetur post sectionem miliones partium vni ex illis lineis, nulla addita alteri, adhuc essent æquales in ratione infiniti, quia non obstante illa additione, altera esset diuisibilis in tot finitas & determinatas, & in tot partes infinitas, in quos posset diuidi altera; quod tamen omnino difficile est, nec admitti deberet, nisi cogeremur ad idem admittendum in infinito syncategorematico; nam lignum bipedale est æquale in ratione infiniti syncategorematici ligno millepedali, quandoquidem hoc nequeat diuidi in plures partes quam illud. Unde in forma nego subsumptum quoad primam partem cum sua probatione. Ad confirmationem patebit ex statim dicendis de infinito in multitudine.

11 Implicantia tertia contra idem infinitum: si Deus crearet corpus quantum infinitum palmorum, posset destruere infinitos semipalmos ex illo corpore, relictis aliis infinitis semipalmis; vel ergo illi infiniti semipalmi relictæ occuparet totum locum occupatum ab infinitis palmis, vel non. Si sic, ergo essent æquales infinitis palmis, & præterea est evidens ex terminis quod non deberent occupare illud spatium, quandoquidem non necessario mouerentur localiter ad illud. Si non, ergo daretur finis loci occupati ab ipsis, & consequenter locus ipsorum non esset infinitus. Et deinde quandoquidem in infinitis semipal-

mis sunt infiniti palmi, videtur quod necessario debent occupare locum infinitorum palmorum.

Confirmatur: quia infiniti non est assignabilis prima & vltima pars: sed si daretur linea circularis infinita (qualis sine dubio dari posset si infinitum categorematicum in multitudine esset possibile) posset assignari prima & vltima pars eius, quia vbicunque scinderetur à Deo, duo eius extrema apparerent.

12 Respondeo primo, hoc etiam argumentum currere contra corpus quantum possibile cognitum à Deo, nam Deus videt actu infinitos palmos possibiles, & in illis videt actu infinitos semipalmos, & videt actu spatium possibile, quod ab illis posset occupari: vel ergo totum spatium quod posset occupari à palmis, posset occupari à semipalmis, vel non: & sequitur omnino idem inconueniens obiectionis.

Respondeo secundo directe, quod Deus posset quidem infinitos semipalmos istius corporis infinitorum palmorum destruere, nec in tali casu necesse esset ut semipalmi relictæ occuparent spatium ante occupatum à semipalmis destructis; occuparent tamen tantum spatium quantum ad infinitatem ita, ut non essent plures partes in spatio occupato ab utroque semipalmis infinitis quam à semipalmis infinitis destructis, sicut non sunt plures partes proportionales, & indeterminatæ in ligno bipedali, quam in pedali.

Ad confirmationem dico non repugnare infinito primam & vltimam partem, modo inter illas intercedant partes infinitæ.

13 Implicantia quarta contra infinitum in multitudine: si essent infiniti homines, numerus suorum oculorum, pedum & capillorum, esset maior quam numerus illorum hominum, ut apparet ex terminis: ergo vnum infinitum esset maius alio; & sic infinitum minus esset finitum.

Confirmatur: si cum quolibet ex infinitis hominibus produceretur vnus liber, tunc sequeretur quod repositis illis libris in vnum cumalium, quilibet hominum posset accipere ex eodem cumulo centum libros, & sic cum creati essent solum cum singulis libris absque noua productione, aut multiplicatione librorum, singuli haberent centum libros, quod videtur impossibile.

Confirmatur secundo, quia si ex infinitis hominibus destruerentur centum, adhuc remanerent infiniti homines, non minus quam si nullus destrueretur; vel ergo numerus remanens, esset tantus, quantus numerus præcedens, includens centum illos destructos, vel esset minor: tantus nequit esse, quia numerus præcedens includit aliquid vltra id quod includit numerus remanens; minor esse non potest, quia alias daretur numerus maior infinito, & vnum infinitum maius alio, quod videtur repugnare.

14 Respondeo; hæc etiam omnia currere contra infinitos homines possibiles, quos actu videt Deus: nam videt illos possibiles cum suis oculis, dentibus & capillis, vel ergo numerus capillorum, quem videt, est maior, quam numerus hominum, vel non est maior, sed æqualis aut minor. Et quidquid dicatur, nos poterimus dicere in proposito.

Respondeo secundo, mihi in re videri obiectionem insolubilem esse reuera, sed non propterea negari debet conclusio, quia contra oppositam conclusionem militat argumentum deductum ex possibilibus cognitis à Deo: quod æque insolubile est. Et similiter argumentum deductum ex æternitate à parte post: nam animæ creatæ post centum annos non durabunt tamdiu quam animæ creatæ hodie, quandoquidem intercedat differentia durationis centum annorum, & tamen illæ durabunt in infinitum non minus quam hæc: vel ergo vnum infinitum est maius alio, vel potest non esse maius, quamuis vnum infinitum includat aliquas partes vltra illas, quas includit aliud infinitum.

Respondeo tertio, distinguendo antecedens: in ratione infiniti, nego antecedens, quia non potest diuidi numerus oculorum aut capillorum in plures partes; quam numerus hominum infinitus; nam in hoc numero sunt infiniti binarij & centenarij hominum, sicut in illo sunt infiniti

quo oculi & infinities mille capilli: numerus ille est maior materialiter loquendo, quantum ad hoc quod cuilibet parti determinatæ infinitorum hominum correspondent plures partes determinatæ capillorum & pedum, concedo antecedens.

Ad primam confirmationem, quæ etiam militat contra infinitum cognitum à Deo; *Respondeo* sicut in infinito numero hominum, sunt infinities centum homines, ita non esse inconueniens, quod ex numero infinito librorum possent accipi infinities centum libri, sed non acciperentur tamen plures quam fuerunt creati, quia creati fuerunt infiniti. Ego tamen iterum fateor me capere non posse, quomodo postea quilibet homo posset habere centum libros, cum ante non haberet nisi vnum, nec vllus liber de nouo sit productus præter libros, quos habuerunt homines ante, cum singuli singulos haberent. At ex alio capite video necessarium esse concedere, quod possent singuli centum libros accipere, quia alias sequeretur quod numerus librorum esset finitus.

15 *Falsus 1. p. q. 7. de infinitate Dei dub. 6. num. 14.* negat posse in tali casu ex infinitis hominibus quemlibet accipere plures libros ex illo infinito librorum cumulo quam vnum; sicut vnum tantum quilibet reposuit. Quam doctrinam deducit ex conclusione, quam præmisit *num. 1.* eiusdem dubij, quod dari possit vna multitudo semel infinita infinitate afficiente per se primo, & adæquate unitates tantum, & non numeros binarios, nec ternarios: talis autem numerus infinitus esset numerus hominum & librorum in casu præmisso, vnde non possent reperiri infiniti duo libri, nec infiniti duo homines in illo numero.

Verum hæc doctrina admodum difficilis est: si enim non repugnat vnus numerus totalis, qui diuidi possit in duos numeros, quorum quilibet sit infinitus, vt ipse fateatur de numero conflato ex oculis infinitorum hominum: profecto difficile est negare cur numerus conflatus ex infinitis hominibus non possit diuidi in duos numeros, quorum quilibet sit infinitus: cur enim numerus hominum hoc non haberet, & numerus oculorum haberet? aut cur infinitas hominum afficeret immediate & adæquate unitates hominum, infinitas vero oculorum non afficeret immediate unitates oculorum.

Rursus; Deus videt in infinito cumulo librorum reperiri aut numerum determinatum & finitum categorematice omnium duorum librorum, aut numerum infinitum categorematice. Si videt numerum omnium duorum librorum quorquor reperiantur ibi, esse finitum: ergo totus numerus est finitus contra hypothesim. Si videat esse infinitum, ergo quilibet homo ex infinitis posset accipere duos libros non minus quam potest accipere vnum librum ex eo quod numerus singulorum librorum, qui sunt in illo, sit infinitus. Sed in re vndeque inexplieabili non est curiosus in qualibet difficultate insistendum.

Ad confirmationem secundam respondeo, quod in ratione infiniti numerus remansens post destructos aliquos homines sit æqualis, aut saltem non sit minor, nec maior numero anteriori, licet numerus anterior includeret ultra aliquas unitates hominum destructorum, quæ unitates non includerentur in numero remanente.

16 *Implicantia quinta* contra vnamque infinitum: sequeretur partem esse æqualem toti contra primum principium. Probatur sequela quia numerus conflatus ex decem hominibus, & ex infinitis hominibus, aut ex decem partibus, & ex infinitis partibus quantitatis extensæ in infinitum esset totum respectu infinitorum hominum & partium, & respectu istorum decem hominum aut decem partium. Sed infiniti homines, quos præter decem homines includeret, sunt pars istius numeri, & illa pars est æqualis isti numero, quia non minor nec maior; non maior quidem, cum nulla sit ratio id asserendi, sed potius oppositum deberet dici, non etiam minor quia est numerus infinitus, nec infinito numero maior excogitari potest.

Confirmatur: quia in infinitis hominibus dantur infiniti centenarij hominum, & in infinitis his centenariis includuntur infiniti decennarij tanquam pars, sicut de-

cem est pars inclusa in centum. Sed numerus infinitorum decennariorum est æqualis numero infinitorum centenariorum, aut saltem non est minor illo, tum quia est infinitus, tum quia etiam in eo sunt infiniti centenarij: ergo pars est æqualis toti, aut saltem non est minor toto, quod æquè repugnat.

Confirmatur secundo: quia si daretur corpus pyramidale infinitum, illud corpus constaret lineis finitis, nimirum illis quæ essent prope punctum in quo costæ pyramidis facerent angulum, & etiam lineis infinitis, quæ à parte superiori costæ deberent in infinitum distare, alias pyramis non esset infinita. Tum sic: Deus cognosceret omnes lineas finitas istius pyramidis, & ultimam determinatam ex ipsis, quæ esset omnium maxime linea; ergo linea determinata immediate sequens esset, & non esset infinita: esset, quia excederet lineam maxime longam ex omnibus finitis, non esset autem, quia non deberet excedere illam nisi excessu finito duorum v. g. punctorum.

17 *Respondeo primo*, hanc etiam obiectionem cum his confirmationibus mihi esse insolubilem, sed currit æquè contra possibilia cognita à Deo.

Respondeo secundo, si consideremus partem, vt pars est, eam necessario semper debere considerari vt minor toto, quia consideratur vt inclusa in toto simul cum alijs partibus; si vero consideretur secundum se, modo sit infinita, potest esse æqualis toti aut non minor illo, quantum ad hoc quod possit esse diuisibilis in tot partes, in quor poterit ipsum totum; & exemplum huius habemus in quanto semipedali, quod licet, si consideretur vt pars quanti pedalis, sine dubio sit minus illo, tamen si consideretur vt diuisibile in partes indeterminatas, esset æquale ipsi; quicquid quantum bipedale non potest diuidi in plures partes, quam semipedale possit. Vnde in forma distinguo sequelam: pars vt pars, nego sequelam; vt diuisibilis in partes suas, concedo sequelam, quando est infinita; quod autem hoc non sit inconueniens, patet in exemplo iam dato, & in possibilibus hominibus.

Ad primam confirmationem respondeo, distinguendo minorem: numerus infinitorum decennariorum, si consideretur vt pars, est æqualis numero infinitorum centenariorum in quo includitur, nego minorem; si consideretur vt diuisibilis in partes suas, concedo minorem, & similiter distinguo consequens.

Ad secundam confirmationem respondeo, quemadmodum Deus non videt de facto vltimum numerum determinatum & finitum hominum, quem potest producere simul, etiam secundum aduersarios, quia non potest simul tot producere, quin plures possit, & quemadmodum in numero infinito hominum, quem produceret, non potest cognoscere numerum finitum supremum, quia quocunque assignato, si adderetur vnus homo ex reliquis, qui ultra illum numerum reperiantur in infinito, daretur numerus maior: ita etiam non posse illum cognoscere in tali pyramide quænam sit linea finita vltima & suprema. Et quamuis hoc sit mirabile, cum ipsemet omnes illas lineas producat, & quidem liberè, tamen simile quid æquè mirabile contingit in cõpositione continui, nam quævis Deus totum continuū producat cum suis indiuisibilibus (suppono indiuisibilia in continuo dari) non potest secundum indiuisibile assignare, quamuis necessariū sit aliquid secundum dari, & ipsemet Deus liberè illud producat.

Aliæ obiectiones plures afferri solent, sed nullæ maioris difficultatis quam præcedentes, quas qui soluere poterit, facile reliquis satisfaciatur.

Pro maiori autem intelligentia huius rei hic breuiter aliquot dubitationes particulares, quæ de infinito proponi solent, sigillatim soluendæ sunt, quamuis ex dictis earum solutio colligi possit.

Dubia aliqua concernentia hanc materiam.

18 *Ques. 1.* An Infinito aliquid addi, vel detrahi possit? *Res. affirmatiue*, quia ex infinitis hominibus Deus posset destruere vnum hominem, imo & quemcunque numerum finitum, & adhuc restaret infinitus numerus hominum, nam alias si destructo numero finito hominum restaret numerus finitus, ex duobus numeris finitis, nimirum

An infinito aliquid addi, vel detrahi possit.

nimirum ex numero finito destructo, & numero finito remanente coalesceret numerus infinitus, quod est absurdum, ergo potest aliquid detrahi ex infinito.

Rursus, posset Deus iterum producere eosdem homines, & sic adderetur numero infinito: ergo potest aliquid addi infinito. Imo quandoquidē in infinito numero hominum essent duo infiniti numeri oculorum, & plures infiniti rases capillorum, posset ex toto numero oculorum infiniti oculi destrui, & adhuc manere numerus infinitus oculorum: posset enim Deus destruere omnes & solos oculos dextros, & adhuc manerent infiniti oculi sinistri: & rursus quandoquidē posset restituere iterum eosdem oculos dextros, sequitur quod possit numero infinito detrahi, & addi numerus infinitus.

Quomodo
part possit
esse aequa-
lis toti.

Quomodo
possit ali-
quid dari
maius infi-
niti.

An vnum
infinitum
possit esse
aequale al-
teri.

Contra hoc nihil obici potest gravius, quā quod sequeretur partem esse aequalem toti, & posse aliquid dari maius infinito. Sed ex dictis constat partem posse esse equalem, si consideretur ut diuisibilis in suas partes, modo habeat infinitas partes, licet non possit esse equalis toti, si consideretur ut pars totius, quia ut sic considera-
tur, ut inclusa in toto simul cum aliis partibus. Deinde constat etiam ex dictis, posse dari aliquid maius infinito quantum ad inclusionem alicuius ultra illud, quod necessarium est ad constitutionem infiniti, licet non possit dari aliquid maius infinito quantum ad diuisibilitatem in partes, ita sc. ut possit aliud esse in plures partes diuisibile, quantum infinitum possit.

19 *Quæres secundo*, an vnum infinitum possit esse æquale alij infinito, & maius aut minus illo.

Respondet, in ratione infiniti, formaliter loquendo omnia infinita esse æqualia, aut saltē non esse inæqualia (quod addo quia equalitas proprie dicta supponitur cōuenire tantum posse quantitati finitæ, quo supposito infinitum non possit esse æquale vlli proprie loquendo, de quo non possit esse alia controuersia quam de nomine) quia omnia æque possunt diuidi in infinitas partes determinatas, & quot binarij, ternarij, centenarij ac mille-
narij reperiuntur in vno infinito quocumque, tot reperi-
ri possunt in quocumque alio. Vnum tamen infinitum potest esse inæquale alteri quantum ad inclusionem ali-
quorum ultra omnia quæ includit alterum, nam nume-
rus conflatus ex infinitis oculis sinistris & dextris inclu-
dit aliquid ultra illa quæ includit numerus conflatus ex
solis dextris oculis, aut sinistris solis.

20 *Quæres tertio*: An infinito possit conuenire figura & motus.

An infinito
possit con-
uenire fi-
gura & mo-
tus.

Respondet figuram circularem posse competere infi-
nito corpori & motum etiam localem circularem.

Ratio prima partis est, tum quia alias non posset dari corpus infinitum, non enim potest dari corpus nisi cum aliqua figura, nulla autem figura potius poterit compete-
re corpori quam circularis, tum quia si quid impeditur,
maxime quia possent assignari duo extrema circumfe-
rentiæ istius corporis: sed supra diximus hoc non esse
inconueniens, quoties inter illa extrema darentur infi-
nitæ partes.

Ratio secundæ partis conclusionis est, quia si daretur linea infinite longa, quamuis non posset (de quo modo non curo) moveri motu directo secundum longitudi-
nem, posset tamen ad latus moveri, quia nihil impedit.
Deinde corpus circulare infinitum posset tēpore infini-
to moveri ab hoc puncto spatij imaginarij ad idem pū-
ctum, & posset in instanti pars illa, quæ infinite distat ab
hac parte, poni in loco huius partis, & hæc pars poni lo-
co illius: neque in hoc est maior difficultas rationis aut
imaginationis, quam in ipsamet constitutione infiniti, ut
mitum sit, eum qui concedit vnum negare alterum.

An infinita
corpora
possint po-
ni extra se
in loco.

21 *Quæres quarto*, An infinita corpora possint poni in loco, verbi gratia infiniti homines, ita ut sint extra se in-
uicem & non penetrant se.

Respondet affirmative contra *Fasolum* supra dub. 8.
num. 4. *Probat*: quia si non repugnant infiniti homi-
nes, & infinita linea, non repugnat infinitum spatium:
sed si non repugnat infinitum spatium, nō repugnat il-
los homines in illo poni, aut infinitam lineam, quando-

quidem spatium infinitum habeat sufficientem propor-
tionem ad recipiendos infinitos homines.

Obicit ex Fasolo: nulla infinita multitudo potest oc-
cupare totum spatium hinc versus Orientem in infinitum:
ergo nulla multitudo infinita potest poni in spatio. Pro-
batur consequentia: quia si multitudo hinc incipiens nō
occupat totum: ergo spatium à multitudine occupatum
est finitum, tum ex hac parte, ut supponitur, tum ex par-
te Orientis, & consequenter illa multitudo non est infi-
nita: & sic esset finita & infinita. Probat antecedens:
quia spatium illud hinc in Orientem, non solum est ca-
pax infinitorum lapidum vnius palmi, sed infinitorum la-
pidum mille palmorum; nec est assignabile vllum corpus
tam magnum multiplicabile in infinitum, quin corpus
maius possit creati æque multiplicabile in infinitum: ergo
nulla infinita multitudo potest totum illud spatium
implere, quandoquidē sit capax multitudinis corpo-
rum maiorum.

22 *Respondetur*, sicut non repugnat secundum *Faso-
lum*, ut sit vnus numerus conflatus ex pluribus infinitis
numeris: ita non repugnare, ut spatium hinc in Orien-
tem in infinitum protensū includat plures infinitas par-
tes, atque adeo quod possit sufficere ad recipiendos infi-
nitos homines, & infinitos montes. Vnde in forma.

Respondet admissio antecedente, negando consequen-
tiam cum sequela probationis: quia quamuis non occu-
pet totum, sed possit Deus assignare quousque pertigerit,
hoc non impedit infinitatem eius, aut spatij ab ipso oc-
cupati, modo inter punctum, quo hinc incipit & ibi ter-
minatur, intercedant infinitæ partes: & sicut non impedit
infinitatem hominum, quod infinitas oculorum sit aliquo
modo maior ipsa in hoc sensu, quod infinitas oculorum
possit diuidi in plures infinitates, infinitas autem homi-
num non sic secundum *Fasolum*, ita non debet impedire
infinitatem vnius spatij, quod aliud spatium possit diuidi
& in partes illius spatij & in alias infinitas partes.

Confirmatur hoc: aut numerus infinitus motuum est ma-
ioris extensionis aliquo modo, quam numerus infinitus
hominum, aut muscarum, aut non est. Si non est, ergo, quod-
cumque spatium occupabile ab vno potest totaliter oc-
cupari ab altero, & sic numerus infinitus hominum pos-
set totum spatium hinc in Orientem occupare, quamuis
in eodem spatio posset poni numerus infinitus montium
& quorumcumque aliorum corporum maiorum, atque
adeo falsum esset antecedens obiectionis, & neganda es-
set consequentia probationis. Si sit maioris extensionis,
non obstante infinitate numeri hominum infinitorum:
ergo non est inconueniens, quod quāuis numerus homi-
num occuparet spatium infinitum versus Orientem, ad-
huc remaneret spatium infinitum occupandum per excels-
sum infinitorum montium supra infinitos homines.

23 *Quæres quinto*: an infinitum sit numerabile & per-
transibile.

Respondet, si quis viueret infinito tempore, & mouere-
tur infinito tempore, quod posset numerare infinitas par-
tes numeri infiniti, easque pertransire. Si daretur etiā actu,
Deus posset numerare omnes partes eius, easque distinctē
cognoscere & significare nobis, quod essent in corpore
illo infinitæ partes; nos vero de facto nostra experientia
non possemus peruenire vnquam ad cognitionem, an es-
set infinitum nec ne, quia deberemus viuere infinito tem-
pore, ut per omnes transiremus, easque numeraremus.

QVÆSTIO II.

An Creatura habeant infinitatem in perfectione essentialis.

24 *D*upliciter considerari possent creaturæ habere in-
finitatem in perfectione essentiali. *Primo*, si esset
aliqua ex illis quæ haberet infinitam perfectionem ali-
quam simpliciter loquendo, ut si haberet sapientiam in-
finitam, aut actiuitatem infinitam. *Secundo*, si ita se ha-
berent creaturæ in perfectione, ut nulla creatura deter-
minabilis, etiam ab ipso Deo, esset tantæ perfectionis,
quin Deus posset aliam creaturam maioris perfectionis,
Y y 4 producere.

producere. Si creaturæ vel plures vel una haberent infinitam perfectionem priori modo, haberent perfectionem infinitam categorematicam; si posteriori, non haberent infinitam perfectionem, nisi syncategorematicam.

Alij proponunt hanc quæstionem hoc modo: an possit dari infinitum categorematicum in essentia, vel syncategorematicum: Sed quamvis prima pars quæstionis huius hoc modo propositæ habeat sensum, reuera tamen secunda pars vix ad bonum sensum reduci possit. Licet enim verum esset, quod non possit dari aliqua creatura, quæ perfectior dari non potest, nõ apparet quomodo propterea posset bene dici, quod daretur infinitum syncategorematicum in essentia: quæro enim quodnam illud sit nõ certe creatura illa, quæ perfectior dari possit: cur enim illa vocari deberet vilo modo infinita ex eo quod alia perfectior illa, & alia etiam in infinitum perfectiores dari possint: Sed hoc ipsum maxima ex parte est de nomine.

Quantum ad rem autem ipsam, sententia communior est, quod nõ datur infinitum categorematicum creatum in substantia, nec dari possit: cuius contrarium docere videtur *Auersa* q. 24. sect. 8. & 9. quoad vere infinitatem syncategorematicam, aliqui putant dari terminum in speciebus sic, ut una aliqua deur de facto aut dari possit, quæ licet sit finita perfectionis, non possit dari maior. Sic *Henricus* quod l. 8. *Aureolus* 1. d. 44. ar. 4. *Durandus* ibidem q. 2. *Occam* q. vn. *Scotus* 2. met. q. 6. & cum eo communior *Scotistarum* opinio, ac nominatim *Vulpes*, *Smisng*, *Puentez*, quos sequi videtur *Arriaga* disp. 13. n. 20.

Alij existimant non dari huiusmodi terminum in speciebus, sed quacumque possibili assignata posse dari perfectiorem. Hæc est communior *Thomistarum* sententia cum *Suario* disp. 30. metaphys. *Conimbricen.* hic c. 8. q. 3. quos ex nostris sequuntur *Herrera* 1. dist. 15. *Canekus* 2. met. q. 6. *Schol.* 2. *Masstrins* disp. 10. ar. 2. qui dicunt *Scotum* ipsum de hac re tantum dubitative locutum fuisse.

CONCLUSIO I.

Non potest dari aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis.

Non potest dari aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis. Hæc est communissima contra *Auersam*.

Probant Complutenses disp. 18. q. 2. conclusionem: quia omnis creatura completa, qualis esset illa creatura, quæ esset infinita essentialiter, deberet constare genere & differentia: ergo nequit esse infinita essentialiter, quia clauderetur terminis generis & differentia.

Confirmatur: quia omnis creatura debet habere esse suum receptum à creatore, & dependens, ergo nequit esse infinita.

Hæc probatio non sufficit, quia quamvis constaret genere & differentia, & clauderetur illis extremis, si tamen differentia illa esset infinita perfectionis, certe essentia per illam constituta esset sic infinita, sicut Deus qui constituitur per rationem entis & modum infinitatis, vel quemcumque alium, quo contrahitur ratio entis ad ipsum, est infinita perfectionis, licet possit dici claudi illis extremis tam bene quam clauderetur substantia illa genere & differentia sua. Quod si esset inconueniens substantiam infinitam constare genere & differentia, tum dici posset illam substantiam creatam, quatenus infinita esset, non constare talibus; licet secundum alias rationes, secundum quas esset finita, illis gradibus constaret.

Ad confirmationem responderi posset cum sententia communi aduersariorum, & non tantum iunioris illius, quem citant *Complutenses*, distinguendo consequens: nequit esse infinita in omni genere, concedo: nequit esse infinita in aliquo genere particulari, nego consequentia. Quam responsionem non sufficienter impugnant *Complutenses* recurrendo ad illud de constitutione ex genere & differentia.

26. Probat secundo Esolus quest. 7. de infinitate Dei dub. 13. num. 11. Quacumque specie creata assignabili Deus potest facere perfectionem: ergo non potest vlla species esse infinita essentialiter. Probatur antecedens: quia inter quamlibet speciem creatam & Deum est infi-

nita distantia in perfectione, ergo semper remanet in essentia Diuina aliqua ratio imitabilitatis, & participabilitatis maioris, quam habet vlla species creata. Probatur consequentia prima, quia infinito, quæ parte infinitum est, non potest dari aliquid maius: ergo si potest dari species perfectior quacumque specie creata, nulla species creata potest esse infinita in perfectione.

Hæc etiam probatio non sufficit, quia si daretur species infinita possibilis, falsum esset antecedens; & ad probationem eius responderi posset, quod Deus non posset, quamvis esset infinites perfectior illa creatura, perfectius participari quam ab illa in illa ratione in qua illa species esset perfectior, quidquid sit de aliis rationibus; quod magis patebit ex dicendis in secunda conclusione.

27. Probatur ergo conclusio aliter: quia si posset dari aliqua perfectio creata infinita, nulla potius assignari posset, quam sapientia aut iustitia aut potentia actiua: sed repugnat vllam ex his perfectionibus esse infinitam in creaturis: ergo repugnat vllam creaturam esse perfectionis vllius essentialiter infinitæ. Probatur minor: quia repugnat ut perfectiones particulares Dei non excedant in ratione sua formali particulari perfectiones particulares cuiuscumque creaturæ: sed perfectiones sapientia, iustitia, & potentia actiua infinitæ sunt perfectiones particulares Dei, & si darentur tales in creaturis, non excederentur ab illis: ergo repugnat ut dentur in creaturis tales.

Confirmatur: ex infinitate cuiuscumque perfectionis absoluta in diuinis oritur quod debeat identificari omnibus aliis perfectionibus absolutis: ergo si daretur perfectio aliqua absoluta infinita essentialiter in creatura, deberet in illa creatura identificari cæteris perfectionibus absolutis infinitis, & sic illa creatura nõ solum esset infinita in determinato genere, sed in omni; atque adeo esset Deus, quod extremum est absurditatis.

Confirmatur secundo: quia non magis conuenire potest vlli rei, quæ non est Deus, infinita perfectio aliqua determinata, v.g. potentia actiua infinita, aut sapientia infinita, quam independentia aut necessitas essendi à se: sed hæc nequit, etiam secundum aduersarios, competere vlli creaturæ: ergo nec illa. Probatur maior: tum quia non potest assignari disparitas, tum quia reuera independentia in essendo, non videtur maior perfectio, quam sapientia infinita, aut potentia infinita essentialiter: ergo non magis potest vna alicui rei competere quam altera.

28. Dices esse manifestam repugnantiam in eo, quod independentia in essendo seu necessitas essendi à se poneretur in vlla re, quæ non esset Deus, quia sequeretur manifestè quod esset creatura, & non esset; esset quidem, quia quidquid non est Deus est creatura: non esset verò, quia non dependeret à Deo in esse suo, cum ex se haberet necessario esse.

Contra: quia si poneretur illa necessitas existendi à se in re aliqua, quæ non esset Deus, illa res non deberet dici creatura, & falsum esset, quod omnis res deberet esse vel Deus vel creatura: & quamvis de facto id verum sit, tamen veritas huius dependet ab alio, quod non possit poni necessitas essendi simpliciter, nisi in solo Deo: at certe si posset poni sapientia infinita in creatura, posset dubitari, an in ea similiter, talis necessitas implicaret: & quod ad me attinet existimo vtrumque æque implicare: unde qui concedit vnum, difficulter poterit assignare rationem, cur implicaret alterum.

Confirmatur tertio: quia si non implicaret sapientia infinita in creatura, non repugnaret etiam in eadem intellectus infinitus, & posito intellectu infinito, deberet etiam in ea poni voluntas infinita & actus voluntatis infinitæ: at certe absurdissimum videtur, quod creatura vlla posset esse tam perfecta in intelligendo, & volendo, quam Deus ipse: esset autem in hoc casu, ergo non est admittendus, nec consequenter id vnde sequitur.

Fundamentum vnicum aduersariorum esse potest, non implicare in creatura infinitam perfectionem essentialem in aliquo genere, sed hoc esse falsum patet ex probationibus conclusionis.

CONCLV

CONCLUSIO II.

29 *Dei status in speciebus quantum ad perfectionem essentialem, ita ut inter omnes possibiles species cognitas à Deo una sit, quæ magis perfectam nequeat producere.* Hæc est iuxta secundam sententiam supra relata, & communior Scotistarum.

Probatur primo, supponendo omnes species esse inæqualis perfectionis, ut communius tenent Doctores: quamvis enim reuera ad propositum perinde est ita esse vel non, tamen facilius apparebit vis huius rationis, si id supponatur. Itaque eo supposito.

Probatur conclusio: Deus actu videt omnes species rerum, quas potest producere, ut est evidens: alias non esset omniscius, nec posset producere illas species, quas non videret: videt etiam ulterius omnes illas excedere se invicem ita, ut nullæ duæ sint æqualis perfectionis: ergo videt ex omnibus illis unam aliquam, quæ excedit cæteras omnes: sed illa non est infinitæ perfectionis, quia species creata infinitæ perfectionis essentialis repugnat: ergo est finitæ perfectionis: sed illa, quæ omnes alias species possibiles excedit, non potest dari alia perfectior: ergo datur in speciebus possibilibus status talis quantum ad perfectionem, ut una aliqua sit possibilis, quæ perfectiorem Deus nequeat producere.

Dices, species omnes possibiles esse infinitas, atque adeo Deum non posse determinare, quænam ex illis sit maioris perfectionis, quia excedunt se invicem in infinitum: sicut enim ex circulationibus cæli, si sint in perpetuum conservandæ, Deus non potest cognoscere ultimum, nec ultimam etiam cogitationem ex omnibus, quas Beati per æternitatem sint habituri in Cælo: & sicut non potest assignare ultimam partem continui: ita non est mirum quod nequeat Deus assignare, quænam sit species, quæ excedat cætera omnia, nec etiam est mirum quod non sit assignabilis vlla talis species.

30 *Contra primo*, quia si essent possibiles infinitæ species, possent produci à parte rei simul, non minus quam infinita hominum multitudo, cum nulla esset maior implicantis in productione infinitarum specierum, quarum quælibet esset possibilis, quàm in productione infinitorum individuum: si autem producerentur actu quandoquidem una aliqua determinata ex ipsis haberet excessum supra cæteras, certum est quod Deus posset determinare assignare speciem illam, quæ esset perfectior: sed illa species deberet sine dubio esse vel finitæ vel infinitæ perfectionis: non infinitæ: ergo finitæ.

Confirmatur hoc: si producerentur infiniti homines, quorum vnus tantum haberet albedinem, Deus posset determinare assignare, quis esset ille homo, qui esset albus: ergo si in infinitis illis speciebus una aliqua esset, quæ haberet conditionem aliquam particularem, quam nulla ex cæteris haberet, Deus posset ostendere, quænam illa esset, quæ haberet illam conditionem. Nec est eadem ratio de assignatione illius speciei & ultimæ circulationis Cæli, aut ultimæ cogitationis habendæ à Beato, aut ultimæ partis continui: quia quandoquidem circulationes & cogitationes illæ sunt sibi invicem successuræ absque fine, ut supponitur, implicare videtur in adiecto assignari posse ultimam, quia ultra illam non essent aliæ cogitationes aut circulationes successuræ, & sic aliquando haberent finem. Deinde ultima pars, seu minor pars continui debet necessario includere plures partes, quarum vna sit potius dicenda ultima & minor, quàm pars illa in qua includebatur, propterea repugnat, ut possit assignari vlla quæ esset ultima: at non est vlla inconuenientia in eo quod assignaretur ex omnibus speciebus illa quæ esset perfectior cæteris.

Contra secundo, quia implicat infinitus numerus specierum diuersæ perfectionis essentialis: quia in tota collectione omnium illarum daretur infinitas perfectionis essentialis, siue posset assignari, siue non: sed infinitas illa est omnino propria Deo: ergo nequit conuenire toti illi collectioni.

Arriaga pluribus conatur probare hæc conclusionem, sed omnes fere rationes eius pariuntur instantiam in parte

minima continui, & in vltima circulatione Cæli, quorum neutrum potest Deus aut assignare aut producere determinate. Melior probatio est præmissa iam, quæ confirmari potest, tum soluendo obiectiones aduersariorum, tum quia non repugnat dari statum in perfectione essentiali creaturarum.

31 *Obijcies primo*: non implicat quod quacunque specie data possit dari perfectior, neque ex parte potentie Dei, quæ est infinita, neque ex limitatione creaturæ: ergo.

Confirmatur primo, quia infinita perfectio Dei est infinite participabilis & imitabilis à creaturis: ergo non potest per vllam speciem limitatæ perfectionis essentialis participari tam perfecte, quin possit participari perfectius, aliàs non esset infinites participabilis, sed limitato modo.

Confirmatur secundo, quia si Deus non posset quacunque specie limitatæ perfectionis perfectiorem producere, limitaretur illius potentia, atque adeo non esset potentia infinita: hoc est absurdum: ergo.

Respondeo negando antecedens: implicat enim ex limitatione creaturæ, quæ non potest fortiri infinitam perfectionem essentialem, qualem sortiretur, si non daretur huiusmodi status.

Ad primam confirmationem respondeo distinguendo antecedens: quantum ad numerum & extensionem, concedo; quantum ad perfectionem essentialem, nego.

Ad secundam confirmationem respondeo distinguendo etiam antecedens: quantum ad hoc quod non posset perfectiorem speciem producere quam illam, quæ est supremæ perfectionis, concedo, simpliciter loquendo, aut ita ut non deberet dici infinita, nego antecedens. Itaque licet non est inconueniens, quod ita limitetur potentia Dei, ut non possit producere chymeram, quia hæc est impossibilis: ita non est inconueniens quod limitetur ita, ut non possit producere perfectiorem speciem quam supremam, in qua est status, quæ perfectior non est possibilis.

Et si quæras, quomodo ergo sit infinita, si non possit producere nisi finitum effectum.

Respondeo esse infinitam, & quia potest infinita indiuidua omnium specierum possibilium producere æque facile ac vnum, & hoc absque dependentia à causis efficientibus secundis; & quia est perfectio identificata Deo, quæ ex se sufficeret ad infinitas etiam species producendas, si essent possibiles.

Confirmatur hoc: secundum aduersarios potentia Dei est infinita categorématique, & tamen non potest producere vllum infinitum categorématique, saltem quoad perfectionem essentialem, sed limitatur ad productionem limitatam categorématique: ergo non est inconueniens quod sit infinitæ perfectionis, quamvis non possit species infinitæ perfectionis producere.

32 *Obijcies secundo*: Deus potest producere quæcumque speciem limitatæ perfectionis: sed data quacunque specie assignabili finitæ perfectionis, species, quæ excederet ipsam, non deberet necessario esse infinitæ perfectionis, quia ut excederet, sufficere posset excessus in vno gradu: sed excessus vnus gradus supra perfectionem finitam non constitueret perfectionem infinitam: ergo quacunque specie finita assignabili potest dari alia species finitæ perfectionis etiam superior illa, & consequenter Deus potest illam producere.

Respondeo negando suppositum minoris, nempe quod sit possibilis alia species quæ excederet illam, in qua esset status.

33 *Obijcies tertio*: Si daretur creatura aliqua perfectissima cæterarum & limitatæ perfectionis, sequeretur infra illam non dari infinitas species, quia alias esset limitatæ perfectionis & non esset: esset quidē ut supponitur, non esset autem, quia quandoquidem superaret infinitas species diuersæ perfectionis, deberet esse infinitæ perfectionis.

Respondeo primo in sententia eorum, qui putant intra quæcunque duas species assignabiles, v. g. intra hominem & formam, posse dari infinitas species, quarum quælibet sit perfectior formica & imperfectior homine argumentum nihil valere, quia non obstat quod homo excedat in perfectione illas infinitas species, adhuc erit finitæ perfectionis.

fectionis in illa sententia, quæ est satis communis inter aduersarios, contra quos ad hominem valet hæc solutio.

Respondere posset secundo concedendo sequelam; nam si infinitæ species inæqualis perfectionis essent possibiles, non daretur status in perfectione essentiali: si enim homo excederet infinitas species inæqualis perfectionis, esset infinitæ perfectionis, sicut linea excedens infinitas lineas esset infinitæ extensionis. Nec refert quod excessus ille quem haberet homo supra infinitas species non ita fiat ut cuilibet speciei corresponderet in homine particularis gradus, sed ita ut vnicuique indivisibili gradu excederet omnes. Hoc inquam non refert, quia si sequeretur infinitas in homine, ex eo quod haberet infinitos gradus perfectionis, multo magis sequeretur infinitas in ipso ex eo, quod includeret vnicuique gradum æquivalentem illis infinitis.

Sed contra hanc responsionem facit, quod quemadmodum licet linea finita excedat lineas infinitas syncategorematicas, quas includit; quandoquidem sit infinita syncategorematicæ; inde tamen non sequitur quod sit infinita simpliciter: eodem modo, quamvis homo excederet alias perfectiones syncategorematicas infinitas, non debet esse simpliciter infinitus.

Itaque melius responderetur distinguendo sequelam; infinitas species categorématique, concedo sequelam; nec hoc est inconueniens, sed necessarium; quia alias illa creatura esset illimitata ac infinita per perfectionis simpliciter: infinitas species syncategorematicæ, nego sequelam; nec hoc etiam esset inconueniens, quia non sequeretur quod illa species esset illimitata, aut infinita, simpliciter.

34 Obijciens quarto: in numeris potest in infinitum iri, nec vllus assignabilis est finitus numerus, cui non possit addi vnitas, qua redderetur maior, ut docet Aug. 12. ciuit. c. 18. & ex se patet: sed quælibet vnitas variat speciem numeri: ergo non est stabilis status in speciebus numeri, quin alia & alia in infinitum perfectior possit dari.

Confirmatur: quia in actibus reflexis potest dari processus in infinitum, qui tamen actus reflexi sunt distinctæ speciei; ergo non datur status in speciebus.

Confirmatur secundo: quoniam si sequeretur infinita perfectio in aliqua specie ex eo, quod excederet infinitas species inæqualis perfectionis, sequeretur, quod visio beatifica esset infinitæ perfectionis, quia excederet visionem, qua videretur Angelus, & infinitas visiones reflexas, quæ haberi possent de visione illa Angeli.

Respondeo ad hoc, quod est præcipuum aduersæ sententiæ fundamentum. In omnibus illis speciebus, quarum quælibet ex natura sua intrinseca dicit ordinem ad aliam speciem vltiorem, ita ut repugnet assignari vnâ, supra quâ alia addi non debet necessario, dari processum in infinitum, & infinitatem syncategorematicam tantum. Tales autem sunt species numerorum, & actus reflexi, ac similia quæ proportionem habent cum partibus infinitis syncategorematicæ, quæ includuntur in continuo; & propterea sicut in continuo, licet possit assignari pars includens infinitas partes syncategorematicas, illa tamen pars non est infinita categorématique, sed syncategorematicæ, quia non potest assignari vltima pars etiam de potentia absoluta: ita etiam in huiusmodi speciebus multiplicabilibus in infinitum, licet esset assignabilis aliqua, qua excederet infinitas alias, quia tamen illæ non sunt infinitæ, nisi syncategorematicæ ex eo, quod non potest assignari vlla ex illis supra quam alia in infinitum non possint superaddi, non debet dici illa species esse simpliciter infinita; sed secundum quid tantummodo & syncategorematicæ. Vnde in forma distinguo cōsequens obiectionis & confirmationis: non datur status in speciebus illis quæ ex natura sua exigunt vltiores species, concedo consequentiam; quæ non exigunt, nego.

Ad secundam confirmationem respondeo distinguendo sequelam: sequeretur, quod visio beatifica esset infinitæ perfectionis secundum quid & syncategorematicæ, concedo simpliciter & categorématique, nego sequelam.

Fateor tamen sincere, hanc obiectionem reddere mihi oppositam sententiam valde probabilem, & in rebus his concernentibus infinitatem, nullam partem esse, quæ non habeat magnam difficultatem.

Quæres, an sicut potest dari in creaturis aliqua perfectissima, quæ excedi nequeat in perfectione essentiali, ita etiam possit dari aliqua imperfectissima, qua imperfectior dari nequeat.

Respondeo mihi videri quod sic, quod etiam docet Arriaga supra. Fundamentum potissimum est, quod non implicet talis species, & quod quemadmodum dari potest status in perfectione summa, ita etiam possit in minima, à paritate rationis. Sed aduertendum tamen, quod quemadmodum sunt aliquæ species, in quibus potest procedi ad maiorem perfectionem in infinitum, v. g. species numeri; ita etiam esse aliquas species, in quibus possit procedi ad minorem & minorem in infinitum: ut sunt species visionum reflexarum, quarum prima habeat obiectum perfectius seipsa, quia eadem prorsus est ratio.

Possit hic agi de infinitate intentionis, an scilicet possit dari qualitas infinite intensa: sed de ea agemus in libris de generatione & corruptione.

LIBER IV.

PHYSICORVM.



Vandoquidem mobilitas localis, secundum quam moueri possit res à loco in locum, sit vna ex proprietatibus corporis physici, ut melius intelligatur natura talis mobilitatis & motus localis correspondens ipsi, agit hic de Loco Philosophus, & hac occasione agit pariter de Vacuo. Deinde quia omnis motus aut sit in tempore aut in instanti, agit præerea de Tempore.

DISPUTATIO XV.

De Loco.



On agimus hic de loco, prout capitur metaphorice pro subiecto, in quo inhæret forma, quo sensu materia solet vocari locus formarum, & mens locus specierum intelligibilium; nec etiam de loco artificiali, qualis est vas respectu liquoris in eo repositi, & sedes seu cathedra vocatur locus hominis in ea sedentis: sed de loco proprie dicto, qui necessario requiritur ad motum localem tanquam terminus à quo & ad quem eius, qualem locum dari tanta experientia constat, quanta constat ipsi motus.

QVÆSTIO I.

Quid sit Locus?

Prima sententia circa hanc quæstionem est, locum esse spatium imaginarium repletum corpore locato, quod spatium intercedit inter latera corporis continentis, & est tantæ extensionis quantæ est ipsum corpus locatum. Hanc plures ex recentioribus tenent, speciatim Auer-sa q. 27. a. 1. Amicus tract. 20. q. 3. Et si opponatur ipsis Aristoteles, qui antiquos Philosophos hanc sententiam tenentes acriter impugnauit, respondet ipsum non locutum de spatio imaginario hoc, sed de spatio vero & reali iuxta sequentem opinionem.

Secunda sententia est locum esse corpus reale triplex dimensionis, in quo penetratiue recipitur corpus locatum, quod corpus vocatur spatium reale ad distinctionem spatij imaginarij. Hæc pluribus antiquis Philosophis adscribitur, & ita placuit Massio, ut in eam fateatur se iturum, nisi autoritate Philosophi & D. Thomæ moueretur.

Tertia sententia est ipsum vbi esse locum: hanc referunt Complutenses, sed nullum pro ea citant auctorem.

Quarta sententia est, locum esse vltimam superficiem corporis ambientis locatum. Hæc est communior Scotistarum & Thomistarum cum Philosopho hi c.

CON

In aliquibus speciebus dari processum in infinitum.

Potest dari imperfectissima species.